UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Syntagma Ivris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||

**Grégoire, Pierre**

**Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.**

**VD16 VD16 G 2999**

Liber XXXIII. De Crimine diuinæ imminutæ Maiestatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-97739

Visual Library

1 IN † atrocitate pœnarum illud eſt, non ſepeliri punitos, ſed vel auibus laniandos exponi, vel membra alicubi in terrorem malefactorū ſuſpendi: quia non ſepeliri pœna per ſe eſt. Et inter pœnas Iezabeli comminatas atrox, *Nec erit qui ſepeliat eam*, 4. *Reg* 9. Et apud Hieremiam ſæpe, *Non erit qui ſepeliat eos Hierem*. 24. *Non plangetur neq; ſepelietur*, *Hier*. 26. Et pro maledictione imprecatio apud Eccleſiaſtem, vt ſepultura quis careat, *Eccleſ*. 6. Et alibi, abiici inſepultum in morem cadaueris aſini, exſecratio. *Sepultura*, inquit Hieremias, 22. *aſini ſepelietur*. Et proinde corpora punitorum non ſolent ſepeliri, niſi petantur. Si petantur tamen, facile conceduntur: niſi in grauioribus ſceleribus, quibus opus eſt exemplo, *l*. 1. 2. *& 3 de cadauer. punito. in P. l. obnoxios*, 11. *de relig. & ſumt. fune*. ❡ Ex concilio Moguntinenſi quoque ſtatutum etiam, ſi ſuſpenſi vel aliis pœnis necati, de omnibus peccatis ſuis puram confeſſionem egerint, & digne pœnituerint, communionem etiam ſacræ eucharistiæ, & ſepulturæ dandam, *c. quæſitum*, 13. *q*. 2. *c*. 2. *de fur. ap. Greg*. Impœnitentibus autem, qui pro ſuis ſceleribus moriuntur, denegandam, *c. placuit*, 23. *q*. 5.

# DE CRIMINE DIVINAE IMMINVTÆ MAIESTATIS. LIBER XXXIII.

## Maieſtas quid. Cap. 1.

1 *Ordo criminis maieſtatis tractandi.*
2. 3. *Maieſtas quid, vnde dicta, eius finitio.*

1 EXpoſita † in vniuerſum criminum tractatione, operæpretium erit nunc ad ſpecies eorum peruenire, & quid in ſingulis ſtatuēdum ſit percurrere. A maioribus & publicis, ad minora & priuata, & quaſi delicta vſque ad tractationem producentes. Exordium itaque a crimine maiori & pernicioſiſſimo faciemus maieſtatis. Ceterum tractaturi de crimine hoc, nobis primum erit indagandum, quid ſit maieſtas: dehinc quid qualeve hoc crimē: eius
2 poſtea ſpecies, capita & pœnæ. ❡ Maieſtatem † generaliter nemo, vt opinor, ignorat dictam fuiſſe ab ea dictione, quæ quod maius eſt, ſeu ſummum ſignificat: vnde & magiſtri, & magiſtratus dicti, *Paul. l. quib*. 57. *de verb. ſign*. Non ſecus quam poteſtas dicta a poſſe, vel a potentia. Maieſtatem & a magnitudine dici, fidem facere poteſt quod ſcribit Macrobius de Maio & de Maia, his verbis, *Macro. lib*. 4. *Saturn. c*. 12. *Fuluius nobilior in faſtis, quos in æde Herculis muſarum poſuit, Romulum dicit, poſtquam populum in maiores, minoresq; diuiſit, vt altera pars conſilio, altera armis rempub. tueretur, in honorem vtriuſque partis menſem Maium a maioribus: ſequentem Iunium a iunioribus vocaſſe. Quidam Maium etiam Iouem dictum fuiſſe autumant, a magnitudine. Alii quoq; Maiam, cui menſe Maio res diuina ab Ethnicis fiebat, terram dictam fuiſſe a magnitudine, vnde & magna mater*. Ouidius, 5. *Faſtor*. a maieſtate honoris & reuerentiæ filia, Maium declinat. Et maieſtatem, a magnitudine: quia vbi ea nata inde eſt, maior & veneranda omnibus eſſe cœpit, quæque mundum omnem temperet. Plura Michael Bentherus, lib. 2. Faſtor. in Maio. Verba Ouidii hæc,

*Donec honor placidoq; decens reuerentia vultu*
*Corpora legitimis impoſuere thoris:*
*Hinc ſata maieſtas, quæ mundum temperat omnem,*
*Quaq; die partu eſt edita, magna fuit.*
*Nec mora cum ſedit medio ſublimis Olympo*
*Aurea purpureo conſpicienda ſinu,*
*Conſedere ſimul pudor, & metus: omne videres*
*Numen ad hanc vultus compoſuiſſe ſuos.*

3 ❡ Sextus † quoque Pompeius, maieſtatem a magnitudine dicit. Erit itaque maieſtas in vniuerſum amplitudo dignitatis. Sic Valerius Maximus, *lib*. 2. *c*. 5. maieſtatem clarorum virorum dixit eam, quæ potens in amplitudine ſua obtinenda, ſine tribunalium faſtigio, ſine apparitorum miniſterio. Ciceroni, *de Orato*. maieſtas eſt, amplitudo & dignitas ciuitatis.

## De diuerſa Specie maieſtatis. Cap. 2.

1 *Maieſtas apud quos eſſe dicatur. Diuina & humana: & quomodo diuina maior.*
2 *Maieſtas populi Romani quæ. Et in eam crimen.*
3 *Principis maieſtas.*
4 *Iudicum maieſtas.*

1 QVia † igitur maieſtas amplitudinem dignitatis & honoris refert, facile intelligemus, apud eum, eosve eſſe maieſtatem, apud quos culmen dignitatis, & magnitudinem eſſe honoris exiſtimamus. Proinde cum & honor diuinus, & humanus ſummus aliquis ſit, & maieſtatem quoque diuinam & humanam dicemus. Et vt honor Dei, & dignitas excedit humana, ſic eius maieſtas ſumma & præcipua: & grauius ſcelus diuinam, quam humanam offendere maieſtatem, *c. vergentis, de hæret. in* 6. *authen. Gazaros, eod. tit. C.* Qui enim in diuinam committit religionem, in omnium fertur iniuriam, & publicum crimen perpetrat, *l. Manichæos, C. eod.* De maieſtate Dei meminit Cicero, 1. *de Diuinat*. dum ait, *Deum alienum non ducere a maieſtate ſua, præſignificare hominibus quæ ſunt futura*. Et rurſum, *idem* 2 *de nat. Deor. ſuſtinendi muneris, videlicet prouidentiæ gratia propter imbecillitatem, difficultas minime cadit in maieſtatem Deorum*. Et Paulus quoque Iuriſc. maieſtatem Dei dixit, *Paul. l. non diſtinguemus*, 27. §. *ſacerdotio de recep. arbi. lib*. 4. *P. tit*. 8. In maieſtatem hanc delinquunt hæretici, ſchiſmatici, blaſphemi, ſacrilegi, apoſtatæ qui fidem abnegarunt, ſortilegi,
ſepulcrorum violatores. ❡ Maieſtas † humana plures habet ſedes, 2
pro modo adminiſtrationis & gradus rerumpub. Quamobrem apud Romanos, quo tempore poteſtas ſumma penes populum erat, & maieſtas quoque eius erat. Ita apud Ciceronem, *in Partit. orato. Maieſtas eſt magnitudo quædam populi Romani, in eius poteſtate & iure retinendo, vertiturque in imperio atque omni populi Romani dignitate*. Et rurſum idem, 2. *de orato. ſi maieſtas eſt amplitudo, is eam minuit, qui exercitum hoſtibus populi Romani tradidit*. Hinc Proculus ait, populos & liberos, qui alterius populi maieſtatem comiter obſeruant, *Procu. l. non dubito*. 7. *de capti. P.* Dicebaturq; tunc in populo, maieſtas: auctoritas autem in ſenatu eſſe. Atque ita maieſtatis crimen eſt, quod aduerſus populum Romanum, vel aduerſus eius ſecuritatem committitur, apud
Vlpianum, *l*. 1 *ad leg. Iul. maieſt. lib*. 48. *P. titu*. 4. ❡ Et † quia poſtea 3
poplus omne ſuum ius, & imperium in principem tranſtulit, *l*. 1. *ad leg. Iul. de ambitu, P.* §. *ſed quod principi, de iure nato. Aurelius l*. 1. *de offi. præf. præt. P. Zonaras tomo* 2. *dum de Octauio agit*. cœpit & maieſtas dici imperatoria. §. 1. *proœ. Inſtitut. iur. ciuil*. Sic maieſtas imperialis ſolo principi permiſiſſe dicitur, *l. fi. de legib. C.* leges condere, interpretari, & abrogare. Regia quoq; maieſtas dicitur, *l*. 1. *vt nemo pri. titu. præd ſuis vel al. impo. C.* & regnantis maieſtas, *l. digna vox, C. de legib.* a Cæſaribus. Eſtq; hæc maieſtas publica, quia populi dignitatem & publicam vtilitatem refert, ſuſtinet, & conſeruat. Et idcirco qui auctoritate & poteſtate populi & principis quippiam gerebant, vel magiſtratum exercebant, maieſtatē quoque habere dicebantur. Et ita dixere iura iudicum maieſtatem, & imperii, *l. pen*. § *ſi de iuſt. & iur. P.* & in eos committi crimen maieſtatis, vt in principis membra, *l. quiſquis, ad l. Iul. maieſt. C.* ❡ Et
† maieſtas dicitur iudicum quoq; recte Ciceroni, *pro Sexto Roſcio*. 4
Sed & tempore Romuli, lex dicta imperii, qua quædam licebant ſeorſum regi, quædam & abſolute populo, apud Dionyſ. Halycar. *in* 2. Quia etiam imperium annuum a populo conſulibus committebatur, & maieſtas in illis dicitur, vt apud Ciceronem, 1. *Philip. Magnum nomen eſt, magna ſpecies, magna dignitas, magna maieſtas conſulis*. Ad iſtius publicæ maieſtatis ſimilitudinem, quædā dignitas & honor ſingularis in priuatis rebus, vel hominibus, maieſtas quoq; dicitur. Sic Cicero, *idem de Amicitia. Quanta illi fuit grauitas? quanta in oratione maieſtas?*

## Quid Maieſtatis læſæ crimen. Cap. 3.

1 *Læſæ maieſtatis crimen quid.*
2 *Imminutæ maieſtatis crimen quid.*
3 *Maieſtatem ſoluere quid & minuere. & 4.*

QVando † hæc auctoritas aut dignitas, ſeu diuina ſeu humana 1
offenditur, crimen dicitur læſæ maieſtatis apud Iuriſconſultos. Laudatur huius formulæ loquendi Iulius Paulus, *l. meminiſſe oportebit, ad leg. Iul. maieſt. C.* qui libro ſingulari de iudiciis publicis, *In hoc item crimine*, inquit, *quod ad læſam maieſtatem Imperatoris pertinet, etiam ſerui in caput domini torquentur*. Vtitur & Pa-

pinian. dum reſpondit, *l. in quæſtionib. 8. eod. P. quæſtionibus læſæ maieſtatis etiam mulieres audiuntur.* Alii autem fere Iuriſconſulti omnes crimen maieſtatis, vel legis Iuliæ maieſtatis, dicunt ſimpliciter: non læſæ maieſtatis: vt obſeruare licet ex reſponſis eius titu-
2 li Iuriſconſultorum & Cæſarum. Antiquis † vſitatiora verba fuerunt, minuere vel imminuere maieſtatem apud Ciceronem, *2. de Orato. lex Apuleia, qua qui maieſtatem minuiſſet, capitis pœna afficiebatur.* Et Cornelius Tacit. dum de Tyberio agit, *legem,* inquit, *maieſtas reduxerat, cui nomẽ apud veteres idem, ſed alia in iudicium veniebant: ſi quis proditione exercitum, aut plebem ſeditionibus, denique male geſta republica, maieſtatem populi minuiſſet: facta arguebantur, dicta impune erant. Primus Auguſtus cognitionem de famoſis libellis ſpecie legis eius tractauit, &c.* Arbitratur Budæus, *in l. 3. ad leg. Iul. maieſt.* pro lædere maieſtatem etiam dixiſſe Liuium, *lib. 2.*
3 *ſecundi belli Punici.* ¶ Arbitror † tamen, ſoluere poteſtatem, & maieſtatem, grauius quippiam habere, quam minuere: vtrumque tamen crimen eſſe maieſtatis. Sed & Budæus dixit, *in d. l. 3. ad l. Iul. maieſta.* crimen maieſtatis duplex eſſe, læſæ & imminutæ. Verum
4 hæc confundi fere ſemper mihi placuit. ¶ Maieſtatem † minuere, eſt de dignitate, amplitudine, auctoritate aliquid tollere, & eis derogare, vt ait Cicero, *2. de Inuentio. rheto.* Ceterum primum dicemus de criminibus in diuinam maieſtatem commiſſis, quam de imminutione maieſtatis humanæ agamus. Et initio de hæreticis, ſubinde de aliis.

## De Hæreticis, quid hæreſis & hæreticus. Cap. 4.

1 *Hæretici quot crimina committunt.*
2 *Hæretici rei maieſtatis diuinæ.*
3 *Hæreticus, & hæreſis vnde dicantur.*
4 *Eremita vnde dicitur.*
5 *Hæreticus late & proprie quis.*
6 *Iudæi non ſunt hæretici. Nec cogendi ad fidem. & 10.*
7 *Gentiles non ſunt computandi inter hæreticos.*
8 *Iudæi quando ex diuerſis Chriſtianorum prouinciis pulſi & oppreſſi, & quare.*
9 *Druidarum religio Romæ ſublata.*
11 *Iudæi quare viuere permittuntur.*
12 *Iudæis prohibita, & conceſſa.*
13 *Paganorum religio vetita.*
14 *Agarenorum ſeu Turcarum religio exploſa.*
*Peregrinationes ad ſepulcrum Mahumetis prohibitæ. eod.*
*Turcas mercibus & armis iuuantes quibus pœnis puniendi. eod.*
15 *Hæretici non ſunt Agareni. Et hæretici qui dicantur.*
16 *Hæreticum pertinacia potiſſimum defenſionis erroris facit.*
17 *Hæreticorum ſynonyma.*

1 QVia † qui dolo, hoſtili animo, & pertinaci auſu, fidem catholicam turbant, & populum commouent deportatione digni ſunt, vt Valentin. ait, & Theod. & Archad. *l. 3. de iis qui ſup. religio. conten. lib. 16. C. Theod. tit. 4.* & qui de religione contendunt, vt ſeditionis auctores, pacisq; eccleſię turbatæ maieſtatis capite ac ſanguine ſunt ſupplicia laturi, vt prædicti reſcribunt Cæſares, *l. 1. eod. tit.* Neq; grauius peccatum hæreſi adducitur, *c. quid in omnib. 32. q. 7. c. quid autem. 24. q. 4.* quodq; crimen publicum eſt, *c. in non-*
2 *nullis. de Iudæ.* ¶ Idcirco † inter reos maieſtatis diuinæ primum hęretici ponuntur, *auth. gazaros. de hære. c. vergentis eod. in 6. ibi diui-*
3 *nam offendere maieſtatem.* ¶ Hæretici † ab hæreſi: at hæreſis non ab adhæreo, nec ab errore, vt quidam rati ſunt, ſed a nomine Gręco deriuatur. αἵρεσις namq; inter alia ſignificata apud Hellines, electio eſt & optio, vt apud Iſocratem, *orat. de pace.* περὶ τὰς αἱρέσεις ἁμαρτάνοντας τῶν πραγμάτων, in electione rerum errantes. Et Thucid. *in 2.* γίγνεταί μοι αἵρεσις, optio mihi datur. Sic αἱρεῖσθαι Budæo, *in commen. ling. Græc.* eſt opinari, cenſere, ſectam aliquam conſectari, vt philoſophi. Sic ab hæreſi hæretici, dum ſectam eligunt, quam putant eſſe meliorem, *c. hæreſis, 23. q. 3.* Et præſumtio mentis propriæ, via ad hæreſin, *can. quid autem, 24. q. 3.* Cicero, *in Para.* Latine loquẽs, eam vocem Latinam fecit: *Cato autem,* inquit, *perfectus mea ſententia Stoicus & ea ſentit quæ non ſane probantur in vulgus, & in ea eſt hæreſi, quæ nullum ſequitur florem orationis, nec dilatat argumentum, ſed minutis interrogatiunculis & quaſi punctis, quod vult, efficit.* Et rurſum, *idem 14. lib. Epiſt. ad Attic. epiſt. omnium 312. De hæreſi Veſtoriana, & de Iherionum more Puteolana riſiſſe me ſatis, nihil eſt neceſſe me reſcribere.* πολιτικώτερα *illa videamus, &c.* Dimitto ſimiles locos. Reiicienda quoq; declinatio verbi ab ercisco quod eſt diuido, hæreticum dici, vt putat Azo, in ſumma

de hæret. C. ¶ Sicut † & quod ſubiicit & eremitam ab erciſco dici, 4
*vt & Hoſtien. in ſum. de hæret.* vt diuiſum: cum nullus ſit, qui vel ſalutauerit Græcas literas, qui neſciat non ab erciſco eremitam, ſed ab ἐρήμῳ, loco inquam ſolitario ἐρημίτας, & ἀναχωρήτας dici. ¶ Porro † in tractatione hac, nomen hæretici late, & proprie ponitur: la- 5
te hæreticus dicitur, omnis qui in fide dubitat, *c. 1. de hæret.* vel dubius eſt, ſcilicet qui firmiter & conſtanter non credit, quæ catholicæ & orthodoxæ fidei ſunt. Item & ille proprie, qui fidem amplexus Chriſtianam, poſtea aliter ſentit, quam eadem catholica & vniuerſalis eccleſia, & errorem pertinaciter defendit. Itaq; appoſita ſingula in finitione, concurrere debent ad hæreticum diſtinguendum. Primum qui huiuſmodi dicetur, fidẽ profeſſus eſſe debet, & nomen ſuum Chriſti cultui dediſſe. Sic enim D. Ioan. ait, *1. epiſt. c. 2. Quod ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: ſi enim ex nobis fuiſſent, vtiq; nobiſcum permanſiſſent.* Dum enim diuina purgatur area, ſeipſos ſeparant ſuperbe ab eccleſię ſimplicitate, vt Capharnaitæ, & aliqui Domini diſcipuli, *D. Ioa. Euan.* ab auctore vitæ, & a vera vita præſente: & ab Apoſtolis, & D. Paulo eius diſcipuli Phigillos, Hermogenes, Philotus, & Hymeneus, vt ait Tertull. *de præſ. hæret.* Hæretici & ſectatores dicuntur, quod communem dimiſerint ſententiam eccleſiæ vniuerſalis proprio iudicio cõdemnati. Sic ſcribit enim D. Paulus ad Tit. *c. 3. Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correctionem deuita: ſciens quia ſubuerſus eſt qui eiuſmodi eſt: & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus.*
¶ Quamobrem † Iudæi hæretici non ſunt, quia fidẽ Chriſtianam 6
profeſſi non ſunt: vt non mirũ, ſi illi ferantur inter Chriſtianos, reiiciantur autem hæretici. Siquidem de his, qui foris ſunt, nihil ad nos, *1. ad Cor. 5.* Permiſeruntq; iura pontificia, & ciuilia aliquando Iudæis, antiquas habere ſynagogas: etſi nouas ædificare inhibuerint. *c. Iudæi, c. 3. de Iud. lib. 5. Decre. tit. 6.* Neq; inuitos baptizandos, & fidem noſtram ſuſcipere cogendos, vel rebus ſuis ſpoliãdos, *c. ſicut Iudæi, c. 9. de hære.* Iudæos quoq; placuit. Nemo enim eorũ, qui fidem nunquam acceperunt ad eam ſuſcipiendam vel ſeruandam cogendus eſt, *c. ad fidem, 23. q. 5. ca. de Iudæis, 45. diſt.* voluntarios & ſpõtaneos Deus exigit diſcipulos. Accidit etiam, vt qui coguntur vi, dum primum offertur occaſio, ſacra myſteria contaminent, & dedecorent. Sicut Veſpergenſis abbas, *in Chronic.* in Leone 3. Iſaurico Imperatore tradit, Iudæos & Montanos hæreticos vi Chriſtianiſmũ ſuſcipere coactos ab Imperatore, chriſmatis vnctionem iterum abluiſſe & fidem contaminaſſe, circa annum 719. Et Ratisbonenſes Iudæi inuiti baptizati, tãdem Imperatoris permiſſione ad Iudaiſmũ relapſi ſunt, teſte Alber. Krantz *li. 5. c. 14.* circa annum 1086. ¶ Eadem † ratione inter hæreticos non ſunt con- 7
numerandi gentiles ſeu idololatræ, neq; ii fidem amplecti coguntur: veruntamen vtriq; ſæpe pulſi a ſocietate Chriſtianorum, cum nollent fieri Chriſtiani, & ritus & cultus illorum publice proſcriptus. Refert † Eutropius, *li. 16.* in Iuſtiniano, Iudæos & Samaritas 8
caput contra Imperatorem erigentes Iulianum quendam regem cõſtituiſſe, & victos mox a Iuſtiniano paſſim trucidatos, circa annũ Dom. 536. Eutropius quoq; narrat, *lib. 17. an. 7.* Phocæ Iudæos in Chriſtianos ſæuientes oppreſſos, quod accidit circa ann. Dom. 611. Hiſpania circa an. 1493. teſte Sabellico, centum viginti millia Iudæorum eiecti ſunt: Vt antea, teſte Polydoro Vergilio *c. 17. hiſt. Angl.* circa an. 1295. publico edicto Anglia eiecti ſunt. ¶ Refertur
† a Suet. Tranq. *in Claudio c. 23.* de Iudæis, his verbis, *Claudius Cæ-* 9
*ſar Iudæos impulſore Chriſto tumultuãtes aſſidue Roma expulit: Druidarum religionem, diræ apud Gallos immanitatis, & tantum ciuibus ſub Auguſto interdictam penitus aboleuit.* ¶ Siſebutius † rex Got- 10
thorum, in Hiſpania regnum capiens, anno Dom. 595. Iudęos, qui his temporibus Hiſpaniam incolebãt, compulit metu ſuppliciorum ad Chriſti fidem recipiendam, *Franc. Tarapha. lib. de reg. Hiſpaniæ in Siſebutio.* ¶ Pertinax † genus hominum in ſua ſuperſti- 11
tione Iudæorum, vt nihil non licitum putent, ſi arbitrentur ſe trã fidem vllo modo promouere, neq; vllis vel cœleſtibus tanquam grauibus admonitionibus aut flagellationibus, ſeu cladib. deſtiterũt a iã firmatis erroribus, aut vllũ lapidem immotũ relinquunt, quo veritatẽ Euangelicã impetant aut calumniẽtur. Et proinde ſępe ab aliquib. iſſi prouinciis excedere merito ſunt, vt hoſtes Chriſtianorũ, vſurarũ & patrimoniorum alienorũ cupidiſſimi nũdinatores. Retenti autẽ alicubi nõ approbãdæ ſuperſtitionis aut impietatis cauſſa, ſed in maiorẽ fidẽ noſtrę Chriſtianæ legis: vt vſq; in finẽ ſeculi appareat cunctis regionib quę ad lucẽ Euãgelii ex paganiſmo quotidie accedũt, & acceſſuræ ſunt: Iudæos fuiſſe primũ dilectum Dei populũ, eiq; ab initio mũdi fidẽ & cognitionẽ veri Dei datã & Meſſiæ, quẽ venientem reſpuerũt, & morti ingratiſſimi homines

tradide-

tradiderũt: vnde tamẽ redemtũ eſt genus humanũ a ſeruitute dæ-
monis & morte ęterna, pretio ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chri-
ſti, qui vere Meſſias fuit, verus Dei filius ſecundũ diuinitatẽ patri
cõſubſtãtialis, & aſſumtione carnis verus virginis Mariæ filius, ve-
rus quoque homo. Superſunt itaq; eius teſtes Iudæi. Ne conficta
putent Ethnici, quæ vere exſtiterunt: & impii teſtantur aliquando
vt reliquiæ Iſraelis ſub finem ſeculi ad ſanam mentem reuocandi.
12 ¶ Interdicta † interim Iudæis ſunt coniugia cum Chriſtianis, *l. ne-*
*mo, l. ne quis de Iud. C.* Conſtantinus, *l. 1. & 2. eo. lib. 16. C. Theodo. tit.*
7. inhibet Iudæis mancipium Chriſtianum habere. Quod ali-
quando permiſerunt Theodoſ. & Honorius, qui tamen permiſ-
ſionem deinceps retractarunt, *l. 3. 4. 5. eo.* Iidem Theodo. & Ho-
no. prohibent militare, *l. in Iudaica*, 80. *de iis qui cont. de relig. in C.*
13 *Theod.* non tamen poſtulare. ¶ De † Gentilibus porro, quos paga-
nos vulgus vocabat olim, *l. ne Donatiſtæ, 36. eod.* ſtatutum, vt abo-
leretur eorum ſuperſtitio, & ſacrificiorum inſania. *l. 2. & 4. & 6.*
*& ſeq. de paga. lib. 16. C. Theo. tit.* 8. imminente alioquin gladio. Ve-
rum propria auctoritate Chriſtianis vetitum in paganos irruere,
bonaq; eorum diripere, *l. Chriſtianis, 6. de pag. C.*
14 ¶ Sicut † & de Agarenis in concilio Viennenſi, *in clem. 1. de Iu-*
*dæ. lib. 1. cle. tit. 2.* principibus Chriſtianis mandatum, ne permittãt
inter ſibi ſubditos profeſſionẽ nominis Mahometici, & peregri-
nationes quas faciebant Mahometici ad ſepulcrum Mahometis.
Prohibitum etiam ad eos, arma, annonam, equos, ferrum, vel alias
merces deferre, vel mittere, indicta pœna iis qui feciſſent infamię,
excommunicationis, ſeruitutis, & vt inteſtabiles ſint, *cle. 5. in Ex-*
15 *traua. 1. de Iud. lib. 3. Extraua. commu.* ¶ Ceterum † neque dicemus
Agarenos eſſe inter hæreticos: ſed tantum illos, qui initiati myſte-
riis fidei noſtræ in fide errant. Ita Valentin. Theodoſ. & Honor. *l.*
*hæreticorum*, 18. *de iis qui controuer. de fide, lib. 16. C. Theo. tit. 4. l. 2.*
*eo. tit. lib. 1. C. Iuſt. tit. 8. Hæreticorum*, inquiunt, *vocabulo continen-*
*tur, & latis aduerſus eos ſanctionibus debent ſuccumbere, qui vel leui*
*argumento iudicio catholicæ religionis & tramite detecti fuerint de-*
*uiare.* Conueniunt cum infidelibus, quia vt illi nunquam fuerunt,
ſic hæretici membra eccleſiæ eſſe deſinunt. Iuſtinianus, §. *1. verſ.*
*hæreticos autem, conſtit. nouel. 109. tit. de priuil. dol. hæret. muli. non*
*præſt. l. 1. C. de ſum. trinit. Hæreticos dicimus omnes, qui non ſunt mem-*
*brum ſanctæ Dei catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ.* Valentin. & Martia.
CC, hæreticos dicunt, *l. quicunque*, 8. *de hære. C. l. 2. de ſum. trin. C.*
qui non credunt quæ in ſynodis Nicena, Conſtantinopolitana,
Epheſina, Chalcedonenſe decreta ſunt, quæve credebant Atha-
naſius, Theophilus, & Cyrillus Epiſcopi Alexandrinæ ciuitatis.
Et qui aliter ſacram intelligit ſcripturam, quam ſenſus Spiritus
ſancti flagitet, *c. hæreſis, 24. q. 3. ca. quamuis, 38. diſt.* falſas nouasq;
ſequitur & defendit in fide opiniones, *ca. hæreticus, 24. q. 3.* Qui a-
liter de articulis fidei credit, quam ſtatuit Romana eccleſia, *ca. hæc*
*eſt fides, & ca. quoniam, 24. q. 2.* cuius fides annuntiatur in vniuer-
ſo mundo, *ad Rom. c. 1.* Quive de ſacramentis eccleſiæ male ſentit,
*c. ad abolendam, de hæret. lib. 5. Decre. tit. 7.*
16 ¶ Dicitur † vltimo in finitione, errorem pertinaciter defen-
dentem eſſe hęreticum: non enim qui errat, ſed qui errorem per-
tinaciter defendit, hæreticus eſt, *c. qui in eccleſia. & ca. dixit, 24. q.*
*3. cle. 1. §. porro, de ſum. trinit. in Clem.* Sic pertinacia, non error in
his quæ fidei ſunt, hæreticum facit, inquit D. Auguſtinus, *de ciuit.*
*c. 51. & epiſto. 162.* Cæſares, obſtinatioris animi dementiam, dicũt
hæreſim, *l. 2. de ſum. trin. C.* Claudianus, *lib. 1. de ſtatu animæ, c. 1.*
quoque Mamercus epiſcopus Viennenſis. *Illud*, inquit, *multo*
*maximum periculoſius eſt crimen, quod catholicæ ſanitati opiniones*
*inimicas ſtulte concipiunt, vane proferunt, ſuperbe adſtruunt, cum te-*
*meritate ſcribunt, cum intentione defendunt. Et quoniam humani-*
*tus per imprudẽtiam lapſi ſunt, eligunt audaciæ culpam, pertinaci ob-*
*ſtinatione defendere, ne videantur potuiſſe peccare.* Duo itaque con-
currant oportet in hęreſi perfecta, nempe error in intellectu, qui
eſt hæreſeos principium, & pertinacia, quæ in voluntate eſt, quæ
eſt hæreſeos complementum.
17 ¶ Hæreticos † graui ſcelere implicari apud Deum, niſi reſipi-
ſcant, damnationemq; ſibi quæſiiſſe ſatis notũ eſt, *c. firmiter, de hæ-*
*re. in Decre.* Indicant & illorum ſynonyma, quibus ad eos proden-
dos & notandos vſæ ſunt ſacræ ſcripturæ: vocant namque eos, or-
gana diaboli, vaſa iræ, *ad Roma. 8.* fures & latrones, *D. Ioa.* 10. quia
verbum Dei furantur & adulterant, vt ait Origenes, *in epiſto. ad*
*Roma. lib. 2. c. 2.* lupi rapaces, *D. Matth. 7.* antichriſti, 1. *epiſt. D.*
*Ioan. c. 2.* pſeudoprophetæ, 1. *epiſt. D. Ioan. c. 4. Matth. 24.*
ſeductores, 1. *epiſt. D. Ioan. cap.* 1. pſeudoapo-
ſtoli, 2. *ad Cor. 11.*

## De diuerſitate Sectarum hæreticorum.
## Cap. 5.

1 *Hæreticorum variæ ſectæ, & nomina vbi tradantur.*

QVia † plures aberrandi viæ, vna autem ſolum veritatis aſſe- 1
quendæ, plures & errorum & hæreſium ſpecies ſunt, quas
enumerare ad inſtitutam epitomem non pertinet: cum eas ple-
rique in vnum coniecerint & explicauerint, veluti can. quidam
autem hæretici, 24. quæſt. 3. cap. 3. de hæreti. in Clẽm. auth. gaza-
ros, eod. C. Theodoſius & Valentinianus CC. in l. hæreticorum,
l. 56. de iis qui ſup. religio. contend. lib. 16. C. Theod. titu. 4. Alii in
l. Arriani, l. 5. de hæreti. lib. 1. C. Iuſtinia. Ex profeſſo de diuerſis hæ-
reticorum dogmatibus tractant B. Auguſtinus, Philaſtrius Brixi-
enſis lib. de omnibus ab exordio creaturarum erroribus, Epipha-
nius de hęreſibus, Bernardus de Lutzemburgo, lib. qui inſcriptus,
Catalogus hæreticorum omnium.

## De Iudicibus, & Iudicio hæreticorum.
## Cap. 6.

1 *Hæreſium pellendarum tria capita.*
2 *Hæretici pœnitentes vere reconciliandi eccleſiæ.*
3 *Hæreſeos quomodo fiat abiuratio.*
4 *Hæretici coguntur ad fidem redire.*
*Argumenta contraria diſſoluta. 5.*
*Et ſeq.*
6 *Libertas arbitrii non conſiſtit in permiſſione agendi mala.*
*Et 7.*
8 *Hæreſes eſſe expedire quomodo intelligendum.*
9 *Zizaniorum parabola*, Sinite ea creſcere, *quomodo intelli-*
*genda.*

CIrca † hæreſes euellendas, triplex eſt cura adhibenda: prima, 1
reductionis hæreticorum in ouile: altera, ad iudicia pertinet
& pœnas: tertia, cautionem habet ne nouæ hæreſes naſcantur, ne
natæ propagentur, ne exſtinctæ reuiuiſcant, vt ait Conradus Bru-
nus, *lib. 3. de hæreſib. c. 2.* ¶ Prior † cura, vt fieri poſſit reſipiſcant, & 2
ſuum agnoſcãt errorem & eiurent: gremium enim nemini clau-
dit eccleſia, & gaudium eſt in cœlo ob vnum peccatorem ad pœ-
nitentiam redeuntem, *Lucæ c. 15.* & quos pœnitet, cum omni mã-
ſuetudine recipiendi ſunt, vt etiam leges ciuiles docent in hac
propoſita hæreticorum redeuntium ad fidem hypotheſi, *l. fi. §. nos*
*enim, de ſum. trinit. C. l. licet crimina, 31. de iis qui ſup. reli. cont. lib. 16.*
*C. Theod. tit. 4.* & Theodoſius & Valentin. *l. Manichæos, 53. eo.* poſt
conuerſionem eorum, viginti dierum condonarunt inducias, in-
tra quos ad communionis redirent impune vnitatem. Neque ne-
ganda reconciliatio iis, qui tempore neceſſitatis implorant, *c. his*
*qui tempore, 26. q. 6.* Dicit enim Dei ſpiritus per Ezechielem pro-
phetam, *c. 18. Cum conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris.* Et ad pœ-
nitentiam Deus peccatores ex'pectat, *ca. diaconi ſunt, 93. diſt.* nec
eam vnquam ſpernit, quamuis quis ad ſummum malorum per-
uenerit, *6. talis, §. ecce, de pœn. diſtin. 3.* Statuit & ſeptima ſynodus,
*actio. 1. c. 15. Si quis preſbyter eum, qui a peccato reuertitur, non recipit.*
*ſed reiicit, deponitor.* Et D. Dionyſius Areopagita acerrime arguit
Demophilum in epiſtola ad eum ſcripta, quod pœnitentem ad
genua eius prouolutum calce reieciſſet. In quem errorem contra
fidei catholicæ decreta incidit Nouatus, qui lapſos noluit ad pœ-
nitentiam recipere, *vide Euſeb. Emiſſen. lib. 6. Cypria. can. conueni-*
*entibus, 1. q. 7.* ¶ Verum † modus adhibitus eſt, *c. ſaluberrimum, ca.* 3
*conuenientibus, can. quoties, can. ſi qui voluerint, 1. q. 7. ca. ego Beren-*
*garius, de conſecr. diſt. 2. can. his qui tempore, 26. q. 6.* quo recipian-
tur redeuntes ad fidem hæretici, vt ſcripto negẽt hæreſim, & pro-
fiteantur libello fidem catholicam publice porrecto, & in conci-
lio, *can. ſi quis epiſcopus, 1. q. 7. can. de eod. 50. diſt.* auctoritate epiſco-
pi interueniente, *c. fin. 26. q. 6. can peruenit, 16. q. 1.* qui imponit pœ-
nitentiam, & in gremium eccleſiæ recipit abſoluitque. ¶ Quod
† ſi ſponte hæretici noluerint reſipiſcere, cogendos eſſe ad fidem 4
quam omiſerint recipiendam placuit, & per rerum ſuarum ſub-
tractionem, *c. poſt me, & can. quo iure, 8. diſt. cap. ipſa pietas, 23. q. 4.*
*ca. qui peccat, eod.* & corporalem animaduerſionem, *can. nimium,*
*can diſplicet. & ſeq. 23. q. 4. ca. 1. 2. 3. 23. q. 5.* Sunt enim hi ex numero
eorum, quos Deus per vias & ſepes iuſſit compelli in regnum Dei
intrare, *Lucæ 14.* Sic D. Auguſti. *epiſt. 48. & 50.* non tantum man-
ſuetudine, ſed & ſeueritate reducendos putat. Nec aliena debet
videri ſeueritas ab officio paſtorali, ſi, vt ſaluas conſeruet animas
Deo, flagellis ad ouile redire inuitas cogat errantes, partus vlciſci



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

omnem inobedientiã, vt ait D. Paulus, *2. ad Cor. 10.* Ab illius enim manu exquirendæ ſunt oues, quæ perierint, a Deo, *Ezech.* 34. Neque autem verbis, *Eccleſ.* 33. ſolis emendatur ſeruus durus: ſi enim intellexerit, non obediet, ideo baculo non parcendum. *Qui diligit filium ſuum, aſſiduat ei flagella, Eccleſ.* 30. *&c.* Tu percutis quidem illum virga, *Prouerb.* 23. ſed animam eius liberas a morte. Et, *Multa flagella peccatoris, Pſal.* 31. Mala voluntas ſuę permittenda non eſt libertati, dum obuiam iri potuit. Nec volenti ſe occidere, vel furioſo, gladius ſuus quãtum velit, reſtituendus, *l. bona fides. depoſ. P.* Quemadmodum parui facit medicus phrenetici voluntatem & hydropici, vt eos a morbo liberet. Beneficium quippe impartit medicus phrenetico, illum ligando, & pater filium indiſciplinatum caſtigando, etſi inuitis faciant, *can. ipſa pietas, 23. q. 4. ca. non omnis, & ſeq. 5. q. 5.* Neque exiſtimandum eſt, iam ſibi in errore placentes, armis fidentes, poſſe a veritatis ratione ſimplici, & verbis de ſententia deiici: iniuriis & calumniis taxandi peritos humiles exaudire. Proinde Deus in conuerſione D. Pauli, non ſermonibus, priuſquam proſterneret, & cæcum eum redderet, vſus eſt, *Actu. c. 9.* Neque auditur perire volens, *l. non tantum, de appell. P.* Itaque exemplo Agar verberatæ a domina Sara, *Geneſ.* 16. cogi debent hæretici redire ad dominam & veram matrem eccleſiam, vt etiam eodem exemplo firmat D. Auguſtinus, *in Ioan. c. quando vult, 23. q. 4.*

5 ¶ Neque † ad rem facere mihi videntur argumẽta, quibus quidam hæreticis & diſciplinæ eccleſiaſticæ fræna laxarunt, & impunitate conceſſa, incendio fere inexſtinguibili Gallias vtraſque depopulati ſunt, dicentes, non eſſe ad fidẽ hæreticos cogendos, quæ & refert Brunus, lib. 3. de hæret. c. 3. quæ ego latius & luculentius ſoluam. Primum itaq; dicunt, neminem ad bonum eſſe cogẽdum, ſed quemque ſuo arbitrio relinquendum. Quæ ratio certe ſpurciſſima, & omni ex parte homine indigna eſt, quæ ſuo tenore, ſi vera eſſet, vniuerſam mundi politiam, & leges diuinas & humanas ſubuerteret. Quorſum enim latæ leges ſunt, quam vt ad bonum cogant vel præmio, vel pœna, *l. 1. de iuſt. & iur. P.* Atque ſi demus quemq; pro voluntate viuere, & appetitu proprio regi, quid quęſo inter homines, & bruta rationis expertia intererit? quid iuſtitia opus erit? quæ ſocietas ciuilis integra? Quod ſi quis obiiciat, voluntatem homini liberam, nec cogi poſſe inuitam, vt aliud velit, nec nos inficiamur. Verum malam cogi dicimus, vt in bonum mutetur, ſi metu reſipiſcat, ſicut a bono nimia ſui intellectus praui fiducia decidit, vel ſi perſeueret, pertinax tollatur a ſocietate
6 hominum, ne alios inficiat. ¶ Errant † omnino, qui arbitrium liberum eligendi mala, libertatem veram dicunt, cum libertas ibi ſit tantum, vbi ſpiritus Domini, 2. *Cor. 3. c. Ioan. c. licet, c. 13. de regu. lib. 3. Decret. tit. 31. ca. duæ, 29. q. 2.* Et lex perfectæ libertatis ſit, Dei mandata audire & facere, *D. Iaco. c. 1. Dicere, nemini conſenſeritis, hæc perſuaſio non ex eo qui vocat vos, ſcilicet ex Deo*, inquit D. Paulus, *ad Gal. 5.* Quorſum illa verba etiam Apoſtoli, 2. *ad Timo.* 4. ad paſtorem, *Argue, obſecra, inſta, opportune, importune, &c.* Cur etiã doctiſſimus & optimus theologus D. Petrus literis conſignauit, *Petri* 2. magiſtratus ad vindictam malefactorum, & laudem bonorum? Cur dictum poteſtatem a Deo, *ad Rom. c. 13.* reges, magiſtratus non ſine cauſſa gladium portare? &c. Cur item, *D. Paul. Galat. 5.* vtinam abſcindantur, qui vos conturbant? Si liceat cuiq; impune quod velimus malum agere, & pro arbitrio cultum diuinum polluere, immutare, ſubuertere? Hoc eſſet certe potius libertate abuti, quam vti, & ſpiritus libertatem ad carnis volupta-
7 tem, & animarum perniciem transferre. ¶ Secundo, † non faceſſit quod obiiciunt, nunquam Deum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vel eius Apoſtolos coegiſſe quenquam credere, vel fidem recipere, quinimo & diſcipulis liberam abeundi dediſſe poteſtatem: dicentem, *Nunquid & vos vultis abire?* Nam eadem reſponſione elidi poteſt argumentum, qua proximum. Sed vltra, ex eo quod ab exemplo vno vniuerſalis negatiua non poteſt colligi. Nec ideo quod Deus dixit, *Nunquid & vos vultis abire?* ſequitur quod dederit omnibus abeundi impunitatem. Nam iam diximus apud D. Lucam, *c.* 14. dictum fuiſſe, *Compelle eos intrare.* Atque longe intereſt inter illa tempora, & noſtra. Tunc enim non erat redemtio facta, non fides plene cognita, nondum exaltatus filius hominis, nondum conſummata myſteria, nondum velamen templi ſciſſum, nondum vmbræ abrogatæ, nondum dictum, *Niſi quis crediderit, & baptizatus fuerit, non ſaluabitur*, vt poſtea. Dehinc aliud eſt loqui de cogendis ad fidem, qui nunquam fidem amplexi ſunt, quales Iudæi, gentiles, Agareni: hi enim, vt dictum eſt, cogi non debent. Aliud de reducendis ad fidem, qui fidẽ profeſſi ſunt: quia in extraneos, qui domeſtici fidei non ſunt, nulla Chriſtiana iuriſdictio, & qui ſine lege Chriſtiana viuunt, ſine lege hac iudicabuntur alia, *ad Roma.* 2. In Chriſtianos autem perfidos, ſchiſmaticos, & hæreticos, paſtoris eſt iuriſdictio. ¶ Et † ad paſtorem 8
pertinet cognitio, monitio, & caſtigatio eorundem. Tertio, non pugnat quod dictum ſit, expedire hæreſes eſſe, 1. *Corin.* 11. Nam non propter hæreſes expedit eas eſſe, ſed ad bonorum gloriam, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant. Neque ſequitur ideo illas tolerandas. Vnum enim iubet Apoſtolus nos omnes ſapere, *ad Philip.* 2. quod hæreſes nõ ſinunt. Sic Deus neceſſe eſſe dixit, vt veniãt ſcandala: ſed mox ſubiicit, veruntamen, *væ per quem ſcandalum, Matth.* 18. *&c.* Neceſſe ſecundum quid, non autem abſolute, vel in gratiam ſcandalizantium: nam quæ ſcandalizant iubet vindicari & abſcindi, quamuis oculus, manus, pesve noſter ſit. ¶ Quarto,
† non obiicienda parabola de zizaniis, quæ creſcere ea ſinit vſque 9
ad meſſem Domini, *Matth.* 13. Non enim illa prohibet malos corrigi, aut hæreticos tolli, ſed cautionem docet in puniendis adhibendam, vt ne odio malorum etiam cum illis bonos eradicemus. Toleratur ad tẽpus malus, ſed non ideo impunitas ei datur. Quare dictum, *Sinite ea creſcere*, donec videlicet diſtinguatur zizania a tritico plene. Et exſpectat, vt diximus, ſemper ad pœnitentiam peccatores Deus, *ad Roman.* 2. Datur redeundi tempus, nec hæretici plectuntur, niſi perſeuerantes, relapſi, & pertinaces. Lentoque gradu procedit vindicta Dei, ſed tarditatem ſupplicii grauitate compenſat, *Valer. Max.*

## In Hæreticorum iudiciis quæ perpendenda. Cap. 7.

1 *Hæreticorum pœnarum ordo.*
2 *Hæreſis notio primum ad eccleſiaſticum, dehinc ad temporalem.*
3 *In Hæreſi quomodo perpendenda res, perſona, actio.*
4 *Iudex hæreticorum quis.*
*Inquiſitores hæreticæ prauitatis.*
5 *Inquiſitor hæreticorum quæ poteſt ſine epiſcopo diœceſano facere, & quæ non: vel epiſcopus ſine, aut cum inquiſitore.*
6 *Diuinationes & ſortilegia non puniuntur ab inquiſitore hæreticorum, ſed a iudicibus ſecularibus.*
7 *Inquiſitor quomodo cognoſcat de ſortilegiis & Iudæis.*
8 *Religiones nouas & peregrinas inducere capitale apud gentes.*
9 *Aduocati pro falſa religione necati.*
10 *Religiones falſæ plures cur ſe compatiuntur, at vera cum falſa nunquam.*

MAnſuetudine † igitur, & indulgentia vitæ, interdum hæreti- 1
ci tolerantur, dum exſpectantur, vt reſipiſcant. Dehinc quibuſdam veluti duris ſtimulis & pœnis leuioribus admonentur. Poſtremo, ſi pertinaces perſeuerent, tolluntur: ex forma præſcripta a Deo, dum ait, *D. Ioan. c. 13. Si quis non manſerit in me, mittetur foras*, ecce excommunicationis pœnam, *& areſcet*, ecce perſeuerantiam, *& colligent eum*, vide ibi iudicium ſeculare quod ſequitur, *& in ignem mittent, & ardebit*, ecce tandem pœnam mortis.
¶ Notio † huius criminis ad iudicem eccleſiaſticum prior perti- 2
net, poſtrema ad ſecularem: vt apud D. Matthæum, 18. *ſi peccauerit, &c. dic eccleſiæ: ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* ¶ In † hoc iudicio hæreſis, conſideranda in vniuer 3
ſum tria, res, perſona, actio: in re dogma quod defenditur ab hæretico aſſertum, & crimen. In perſona venit diſpicienda perſona rei, & perſona iudicis: num is qui deliquit, epiſcopus ſit, de quo nõ iudicat inquiſitor, ſed monet ſummum pontif. *c. inquiſitores, c. 16. de hæreti. in 6.* an vero alius ſit, qui ſui eſt fori. In actione, qualitas aſſertionis vel criminis, & modus, quo hæreſis palam facta eſt, electio, aſſertio, fauor hæreticis, impẽſus, receptatio, defenſio, prædicatio, &c. num cum tumultu, armis, aut ſine his coierint hæretici. Quod materiam dat huic iudicio, eſt dogma, num catholica doctrina ſit: in quo perpendit iudex, an ea fuerit legitimis conciliis eccleſiaſticis damnata, vel a ſede apoſtolica, vt tunc hæreticam iudicet: an noua, vt tunc eius deciſionem ad eandem ſedem, vel concilia referat, *cap. quoties*, 24. *q.* 1. In perſona quoque rei conſideratur, num eccleſiaſtica perſona, & cuius ordinis: an vero laicus, ob exauctorationem, de qua poſtea. Nam hæreticum prope eſt laico prædicare, quod officio eccleſiaſtico, *c. cum ex iniuncto, & c. ſicut in vno corpore, de hæretic. apud Gregor.* nihilominus adhærere videtur. ¶ In † perſona iudicis annotandum eſt, duplices 4
iudices eſſe eius notionis cognitores, ordinarios & delegatos, *Conradus Brunus, lib. 4. hæretic. cap. 1.* Ordinarii iudices hæreſeos,

ſummus Pontifex, Antiſtites locorum, concilium œcumenicum, locale, prouinciale, & epiſcopale. Ad epiſcopos iure ordinario cognitio pertinet, quia ii præpoſiti ſunt, vt curam agant gregis, vnde & nomen habent, & vt regant eccleſiam Dei. *Actu. 20. Clemens Papa Julio & Juliano epiſto. 4.* Et concilium generale, *ca. excommunicamus, c. 13. §. fin. de haret.* Mileuitanum, & Africanum ſtatuunt, *Mileuit. concil 25. item in concil. Afric. c. 90.* epiſcopum negligentem aduerſus hæreticos poſſe conueniri & vocari ab epiſcopis vicinis diligentibus, vt negligentiæ arguatur: dehinc monitum, nec hæreticos curantem reuocare, communione priuandum, & mentitum hac de re, etiam epiſcopatum amittere. Et Arcad. & Honor. CC. *l. 1. de religione, lib. 16. C. Theod. tit. 9. Quoties, inquiunt, de religione agitur, epiſcopos conuenit agitare.* Delegati, ſunt inquiſitores dicti hæreticæ prauitatis, qui delegantur & ab ordinariis, & generaliter a ſummo Pontifice in aliqua prouincia vel regno: vnde & deputati iudices ſæpe dicuntur a Clemente V. *clem. 1. de hareti. lib. 5. clem. tit. 3.*

5 ¶ Horum † iudicum quilibet, ſcilicet diœceſanus, & inquiſitor hæreticæ prauitatis, ex placitis concilii Viennenſis, *clem. 1. §. 1. eod. in clem.* & aliorum Pontificum, *c. per hoc, c. 18. eo. in 6. c. vt officium, eod.* alio inconſulto, poteſt vocare ſeu citare, retinere ſeu recentare, quod vulgus arreſtare, capere, & carceribus mancipare, compedes, numellas ſeu manicas ferreas iniicere & inquirere in crimine hoc. Tria autem excepta ſunt, quæ inquiſitor ſine diœceſano, ſeu eius officiali, vel ſede vacante, ſine deputato a capitulo: & diœceſanus ſine inquiſitore ſeparatim non poteſt, niſi vna conueniant. Primum, non poſſit alter ſolus cuſtodiæ & carceri duro, qui magis ad pœnam, quam ad cuſtodiam pertineat, vt plerumque fit, *c. 1 §. fin. de haret. in 6. c. quamuis, de pœ. in 6. c. nouimus, de verb. ſign. c. pen. de apoſta.* reum mancipare. 2. ne poſſit tormentis exponere. 3. vt ſolus non poſſit ſententiam condemnationis ferre. Quod vltimum ex Viennenſi concilio nuperrime decretum, cum tamen olim, quando ſeparatim diœceſanus & quæſtor hæreticæ controuerſiæ cognouiſſent, poſſent ſententiam quoq; ſeorſum ferre. *c. per hoc, c. 17. de haret. in 6. facit extrau. 1. de hareti. in extrau. commu.* Notat tamen Seholiaſtes, *glo. in cle. 1. §. 1. in verb. contra eos, eo. ap. clem.* poſſe etiam nunc alterum horum iudicum ſine altero reum abſoluere, quod fauorabile ampliari, pœnale reſtringi debeat. *c. ſtatutū, de elect. in 6. c. praceptis, 12. diſt. c. accuſatus, 3 q. 6. c. odia, de reg. iur. in 6. l. cum quidam, de libe. prater.* Iuriſdictionis itaque inquiſitorum hæc ſunt, & defenſiones audire, innocentes abſoluere, redeuntes ad vnitatem eccleſiæ recipere. Peritos quoslibet vt eis aſſiſtant vocare concilii cauſſa, item clerum & populum ciuitatum, *c. 1. §. fin. de hare. in 6. c. vt commiſſa, eod.* vt viderit expedire fidei negotio: cōuocare & iudices eccleſiaſticos, *c. praſidentes, c. 6. de haret. in 6. c. vt inquiſitionis, eo.* & reliqua, quæ ad pœnas pertinent, pertractare.

6 ¶ Non † pertinent autem ad inquiſitorum iuriſdictionem, diuinationes, ſortilegia, niſi hæreſin ſaperent: ſed debent ea iudicibus aliis temporalibus relinquere punienda. *c. accuſatus, §.*
7 *ſane, eod. in 6.* ¶ Nec † etiam Iudæorum quæſtiones, niſi in tribus caſibus, *c. contra Chriſtianos cap. 13. eo. in 6.* ſi Chriſtianus Iudæus fuit, vel Iudæus Chriſtianus factus, ad Iudaiſmum reuertatur. Si Iudæus ad Iudaiſmum pellexerit Chriſtianum: Vel niſi Iudæi Chriſtianos emant vel circumcidant. *Brunus, lib. 4. de haret. cap. 2. per cap. de Judais, 45. diſt.* Nouas religiones inducere capitale fuit
8 apud antiquos. ¶ Et † olim capitis pœnam peregrini religioni Perſas irrogaſſe teſtis eſt Ioſephus *contra Appionem. Sæpe atate auorum,* inquit Liuius, *lib. 39. datum eſt negotium magiſtratibus, vt ſacra externa fieri vetarent:* Lexque illa decemuiralis, *Cic. 2. de leg. Nemo ſeparatim Deos habeſſit nouos, ſiue alienigenas: id enim confuſionem facit religionum.* Et vt dicebat Mæcenas ad Octauium Cęſarem. *Dio Caſſ. lib. 52. hiſtor. Qui noua numina introducunt, multos, ad vtendum peregrinis legibus, pelliciunt: vnde coniurationes, coitiones, & conciliabula exſiſtunt, minime commode res vnius principatui.* Plurima & mala in licentia vagandi circa religionem ineſſe Liuius notat, *dec. 3. lib. 5. & deca. 4. lib. 10.*

9 ¶ Placuit † & Ptolomæo regi, cum coram eo quæſtio inter Iudæos & Samaritanos de antiquitate religionis agitaretur, vt in iudicio partium vtrinque aduocati non niſi cum capitis periculo de controuerſia dicerent. Neque vllis aliis, quam ex lege Moſaica ſumtis vterentur argumentis: tandemque Sabbæum & Theodoſium aduocatos Samaritanorum, obtinente Andronico pro Iu-
10 dæis, morti addixit. *Ioſeph. lib. 13. antiquit. c. 6.* ¶ Fieri † non poteſt, vt qui in duas religiones claudicat, verus ſit Chriſtianus. Si enim Deus eſt Deus, ſequendus: & ſi Deus Baal, is ſequendus: non autem in duas partes declinandum, vt dicebat Helias *3. Reg. c. 18.* Non poſſumus duobus contrariis dominis ſeruire, *D. Matth. cap. 6.* Et qui vtramque vult contrariam retinere, certe is in neutram credit: Nam alteram violare erubeſceret. Et fieri quidem poteſt apud paganos, diuerſas ſectas, vt apud Turcas, & religiones fuiſſe. Non enim aliqua illarum vera, & ſæpe errores plures ſe compatiuntur. At nunquam error cum veritate quadrabit: vt nec vera vxor cum concubina, etſi plures concubinæ extra vxorem ſe foueant, quamuis ægre. Nec paſſus eſt Deus diutius populum ſuum pacifice viuere cum gentibus, ſed ſtatim iram in communicantes cum illis exeruit. *1. Machabaor. 1.* Sub Tiberio vt ait Cornelius Tacitus, *lib. 2. annal. Actum & de ſacris Ægyptiis Iudaicisq; pellendis: factumque patrum conſultum, vt quatuor millia libertini generis ea ſuperſtitione infecta, queis idonea atas, in inſulam Sardiniam veherentur, coercendis ibi latrociniis: & ſi ob grauitatem cœli interiiſſent, vile damnum: ceteri cederent Italia, niſi certam ante diem profanos ritus exuiſſent.* Suetonius Tranquillus *in Tiberio, cap. 36.* firmat, & externas cæremonias, Ægyptios, Iudaicoſque ritus compeſcuiſſe Tiberium: coactis, qui ſuperſtitione ea tenebātur, religioſas veſtes cum omni inſtrumento comburere. Fuerant & multis ante annis, vt ſcribit Q. Septimius Tertull. *in apologetic. 6.* Ægyptii Dei capitolio pulſi.

## De pœnis hæreticorum. Cap. 8.

1 *Hæreticorum pœna canonica, ciuiles, mixta.*
2 *Hæretici excommunicantur, & fautores eorum.*
*Filii arcentur a beneficiis. num. 5.*
*Sunt infames, mortui excommunicantur. eod. 4.*
*Exauctorantur bonis confiſcatis: ſi clerici plectendi morte ad ſecularem iudicem remittuntur, vel carceri perpetuo mancipantur. eod. 5.*
*Non miſcent ſe actibus eccleſiaſticis, non accuſant. eod. 7.*
3 *Beneficio priuandus, qui illud precibus hæreticorum fuerit adeptus.*
6 *Hæreticus relapſus, vt pertinax punitur: & quis relapſus.*
8 *Hæreticorum pœna ciuiles quæ.*
*Priuantur priuilegiis catholicorum, & mulier priuilegio præcedentis hypotheca.*
*Res eccleſiaſticas non contrectant, locatione, emtione, emphyteoſi. eod.*
9 *Commercia prohibentur, & ex iis quærere, vel ex ſucceſſione. eod.*
10 *Sunt inteſtabiles. eod.*
11 *Nec filii ex teſtamento alicuius capiunt.*
*Vrbibus pellendi.*
12 *Non militent.*
13 *Priuentur immunitate.*
14 *Teſtimonium non dicant.*
15 *Vltimo ſupplicio afficiantur. & 16.*
16 *Hæreticorum mortuorum fit condemnatio.*
*Et rebaptizantes vltimo ſupplicio damnantur.*
17 *Apoſtatantium a fide, vel apoſtatare cogentium pœna.*
18 *Apoſtatarum a fide pœnitentia num recipiatur.*
19 *Hæreticorum bona an a quolibet occupari poſſint.*
20 *Hæreticis pœna mortis infligenda.*
*Et vindicta in illos diuina. & 21. 22.*

POenæ † quædam hæreticis infliguntur temporales, dum vi- 1
uunt, & ſupplicii vltimi, & poſt mortem. Illæ ſunt vel canonicæ, vel ciuiles, vel mixtæ. ¶ Canonicæ, † veluti quando in vita 2
omnes excommunicantur, vt morbida membra. *c. ecce, 24. q. 3. c. reſecanda, eo. c. excommunicamus, in 1. de hareti. ca. canonica, 11. q. 3. c. ſicut ait, & c. ad abolendam, de hareti. apud Greg. Qui annuntiant aliud, quam habemus, Euangelium, anathema. ad Gal. 1.* Tum fautores & defenſores eorum. *c. ſi aduerſus, & c. excommunicamus, in 1. §. credentes, de haret. l. credentes, C. eod.* ¶ Dehinc † ſecundo & ii- 3
dem, & eorum filii, vſque in ſecundam generationem eccleſiaſticorum beneficiorum incapaces fiunt, *in c. 2. § hareticis, & §. adhac, eod. in 6. c. ſtatutum, eo. tit.* imo & illi beneficiis exuuntur, qui precibus hæreticorum fuerunt adepti. *c. quicunq;, §. adhac, de haret. in 6.* Item ſunt infames, *c. infames, 6. q. 1. can. alieni, 27. q. auth. Gazaros, de haret. C. l. 1. de ſum. trin. C.* ¶ Alia † pœna 3. canonica, 4
vt mortuis pertinacibus denegetur ſepultura, & mortui etiam excommunicentur. *c. ſi quis epiſcopus, de haret. apud Greg.*

5 ❡ 4. Vt † ſi noluerint reſipiſcere, & pœnitentiam agere, perti-
naces primum, ſi clerici ſint, & gradum aliquem in aliquo habe-
ant, a beneficio & gradu & ordine exauctorentur, quod degra-
dationem dicunt, damnati vt hæretici, confiſcatis bonis illorum:
dehinc ſecularibus iudicibus, vt digni qui morte plectantur, re-
mittuntur. *c. vergentis, c. excommunicamus, in* 1. §. *damnati vero, c.
ad abolendam, eod. c. cum ſecundum leges, eod. in* 6. Solent enim iu-
dices eccleſiaſtici in maioribus quibuſque criminibus, incorrigi-
bilem clericum priuilegiis exutum caſtigandum ad iudices ſecu-
lares remittere. *c. at ſi clerici, de iud. apud Greg. c. nouimus, de verb.
ſign.* In magnis autem, vt plerumque, perpetuo carceri mancipa-
re. *d. c. nouimus* §. *fin. & c. quamuis, de pœn. in* 6. Sicut & interdum
hæreticis carcer perpetuus indicitur. *c. excommunicamus, in* 2. §.
*pen. de hæret. ap Greg. c.* 1. §. *fi. eo in* 6. Quomodo autem degradatio
ab epiſcopo fieri debeat, quotve debeant aſſiſtere epiſcopo epi-
ſcopi vel clerici, iura aperte docent. *in c.* 1. *eod. in* 6. *alia antiqua
formula in c. ſi quis timidus, cum* 2. *ſeq.* 15. *q.* 7. Et nos de ea alibi do-
6 cuimus. ❡ Et † hæc remiſſio curiæ ſeculari, vel carceres perpe-
tui infliguntur pertinacibus, & non pertinacibus, qui tamen alias
abiurauerint hæreſim, & relapſi ſunt, licet pœniteant, & ad fidem
redeant. *c. ſuper eod. c.* 4. *de hæreti. in* 6. Relapſus porro dicitur, qui
abſolutus eſt, abiurauitque hæreſim ſemel, & poſtea cum hære-
ticis facto, vel verbo communicat, etiamſi in aliam ſpeciem hęre-
ſis incidat, vel in eandem. *c. accuſatus, cum* 3. §§. *eod. in* 6. ❡ Adi-
7 mitur † & hęreticis poteſtas tractandi eccleſiaſticos actus. *c. ait, &
ſeq. & c. audiuimus,* 24. *q.* 1. Sic & in Cod. Theodoſiano vetitum
legibus, ne epiſcopos faciant, vel confirment hæretici, non cleri-
cos, *l.* 12. *de iis, qui ſuper relig. conten. in C. Theo.* Non admittuntur
ad accuſandum, *c.* 1. 4. *q.* 1. *c. pagani,* 2. *q.* 7. *c. alieni, eod.*
8 ❡ Pœnæ † ciuiles hæreticorum ſunt plures etiam. In primis,
omnibus priuilegiis, quæ contemplatione catholicæ religionis
indulta ſunt, exuuntur. *l.* 1. *C. de hæreti.* 2. Mulier hæretica, præro-
gatiua vt præferatur creditorib. mariti in dote priuatur. *auth. item
priuilegium, eod. C.* §. *quia enim de priuile. dot. hæret. mulier. & c. in
9 Auth. col.* 8. *conſ.* 4. ❡ 3. Iuſtinianus, † § *porro iubemus, cum ſeqq.* §§.
*conſti.* 131. inhibet hæreticis, ne res eccleſiaſticas emant, condu-
cant, vel in emphyteuſin accipiant: quod & Anaſtaſius firmat. *l.
10 ſi qui orthodoxæ,* 9. *C. de hæretic.* ❡ 4. Valent. † Theodoſ. & Arcad.
AAA. *l. quid de Donatiſtis,* 30. *de iis qui ſup. rel. cont. lib* 16. *C. Theod.*
Donatiſtas, Manichæos, Phrygas, ſeu Priſcillaniſtas a ſucceſſio-
nibus proximorum remouent, & ab omni liberalitatis & ſucceſ-
ſionis quolibet titulo. Dehinc 5. adimit donandi, emendi, ven-
dendi, contrahendique cum conuicto facultatem. Quod & ad a-
lios hæreticos productum eſt poſtea. *l. hæreticorum.* 56. *eo.* 6. Et ii-
dem Cæſares ſæpe decreuerunt inteſtabiles actiue & paſſiue eſſe
hæreticos. *l.* 8 56. *eod.* Et quamuis in Eunomianis aliquando lex
abrogata fuerit, *l.* 13. 17. 26. *eod.* nihilominus poſtea reſtituta pro-
11 hibitio. *l.* 15. 39. 40. *eo.* ❡ Et † Iuſtinianus quoq; ſtatuit, *l. cognoui-
mus,* 10. *& l. diuinam,* 12. *de hæreti C. auth. Gazaros, eo.* hæreticos fi-
lios excludi a ſucceſſione parentum: neq; etiam ex militis vel al-
12 terius teſtamento capere poſſe. ❡ 7. Et † ſtatutum vrbe pellendos
hæreticos, ne alios inficiant erroribus, *l.* 9. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 35.
48. 54. 55. 56. *eo. tit. de iis qui ſup. relig. conten. in C. Theod.* imo ob ſo-
lam ſuſpitionem hæreſeos, niſi ſe ab ea purgauerint, infames &
banniti cenſentur noua conſtitutione. §. *Gazaros, de ſtat. & conſue.
col.* 10. *in vſib. feud. in auth. Gazaros, C. de hæreti. facit l. fin. de apoſtat.
13 C.* ❡ 8. Statutum, ne militent hæretici. *l.* 19. 32. 38. *de iis qui ſup.
14 relig. cont. in C. Theod.* ❡ 9. Immunitates † omnes eis adimuntur. *l.
15 curiales,* 7. *de hæret.* ❡ 10. Et † Iuſtinianus, *l. quoniam multi,* 11. *eod.*
ſtatuit, teſtimonia hęreticorum in iudiciis contra catholicos non
admitti: etſi in voluntariis & contractibus, & aduerſum alios hæ-
reticos recipiat. 11. In Nouellis Iuſtinianeis, *conſti.* 37. Αἱρετικὸς
μὴ βαπτιζέτω, μήτε πολιτευέσθω, μήτε κατηχούμενον περιτεμνέτω. id eſt,
*hæreticus ne baptizato, ad rempubl. ne accedito, catechumenum ne
16 circumcidito.* ❡ Poſtremo † Manichæis vltimum ſupplicium im-
ponitur a CC. *l. Arriani.* 5. *hæreti. C.* Quod nos mortem interpre-
tamur. *l. vltimum ſupplicium, de pœn. in P.* In mortem, & poſt du-
rat & inquiſitio & condemnatio, *l. Manichæos, C. de hæret.* vt etiam
17 damnetur memoria mortuorum. ❡ Rebaptizantes, † vltimo etiã
ſupplicio condemnantur. *l.* 2. *ne ſacr. baptiſ. reiter.* Quod ſi quis fi-
dem omnino reliquerit, factus Apoſtata, ex Chriſtiano Iudæus,
vel paganus, bona eius fiſco quæruntur, *l.* 1. *de apoſt. C. l. fi. eo. tit. lib.
16. C. Theod. tit.* 5. cum accuſatio fuerit approbata. Fiuntque ex eo
die, quo fidem reliquerunt, inteſtabiles, & incapaces teſtandi, vel
donandi, crimine illo publico irretiti, *l. apoſtatarum, C. de apoſta. l.* 1.
*eod. tit. in C. Theod.* exuti omnib. priuilegiis quę ſolent Chriſtianis
irrogari. *l. hi qui ſanctam,* 14. *eo. C.* Et ſi quis coegerit liberum apo-
ſtatare, vel perſuaſerit, capite plectitur. *l. pen. de apoſta. C.*
❡ Tamque † graue hoc ſcelus eſt, vt deſertæ atq; violatæ reli-
gionis accuſatio poſſit inſtitui poſt mortem vſq; in quinquenniũ. 18
*l.* 2. *C. de apoſta.* Neq; ita a fide decedentibus datur pœnitẽdi locus
ſecundum leges ciuiles: lapſis enim & errantibus ſubuenitur, nõ
autem perditis. *l.* 3. *eod.* Quamuis aliquando legamus metu tor-
mẽtorum Chriſtianos, qui eiurant fidem, & immolaſſent vi ido-
lis, pœnitentia acta ab eccleſia receptos, etſi Nouatiani reclama-
rent.
❡ Bona † hæreticorum iuſte a Catholicis poſſideri & vindica-
ri poſſe probat etiam D. Auguſtin. *c. ſi de rebus,* 23. *q.* 6. *D. Auguſt.* 19
*epiſt.* 48. Quæ intelligẽda ſunt, non vt auctoritate propria, ſed per
magiſtratuum licentiam vſurpentur.
❡ Pœna † mortis in hæreticos colligi poteſt ex ſacris Bibliis, 1. 20
ex Deuteronomio, *c.* 18. Vbi falſus Propheta locutus in nomine
Dei, quæ Deus nõ præcepit, interficiendus eſt. Et rurſum, is quo-
que qui dixerit populo: *Eamus & ſequamur Deos alienos, &c. Deu-
ter. c.* 13. Vindicauit D. P. mendacium eccleſiæ factum, morte, in
Anania & Saphira. *Act.* 5. D. Paulus Elimam Magum, qui credi-
turos reuocabat, cæcitate puniuit. *Act.* 13. Et Dominus noſter Ie-
ſus Chriſtus palmitem non ferentem fructum vult abſcindi, col-
ligi, & in ignem mitti, vt ardeat. *D. Ioan. c.* 13. ❡ Sed † & vltiones di- 21
uinæ in hæreticos, diſſimulantibus principibus vel ferentibus,
Dei iudicium manifeſtant. Refert Humfredus Lhuid. Demby-
ghienſis Cambro Britannus, in fragmento commentarioli Bri-
tannicæ deſcriptionis, *pag.* 57. *impreſſio. Coloniæ,* 1572. *per Birck-
mannum, in* 8. in Pouuiſia, ſecundo Cambriæ regno, quo tempo-
re S. Germanus Altiſidorenſis contra Pelagianam hæreſim præ-
dicaret, regem, vt in eo regno notum eſt, quod virum optimum
ſuſcipere recuſauerat, occulto & terribili Dei iudicio, cum regia
& tota familia in terræ viſcera abſorptum, quo in loco, non pro-
cul ab Oſuualdia eſt ſtagnum incognitæ profunditatis, Linuclis,
id eſt, vorago palatii in hunc diem dictum. Meminit Niceph. Ca-
liſt. 14. *hiſt. eccleſ. c.* 36. Anaſtaſium, qui θεοτόκον dicebat non dicẽ-
dam, beatiſſimam virginem Mariam, in exſiliũ miſſum circa The-
barum ora, terra aperta cõcluſum. Neſtorii autem eius hæreſeos
fautoris linguam vermibus corroſam, & ita cum ingenti dolore
exſpiraſſe, dicentem ſe ad maiores vocari pœnas. Arrius in ſeceſſu
viſcera extrudit. Suppetunt & his exempla ſimilia propemodum
infinita. ❡ Pœnę † his maiores aliquando coniunguntur, quia ho- 22
rum criminibus alia crimina ſæpe accedunt, vt calumniæ quibus
hæretici inſimulant quos ſibi exiſtimant obſiſtere & aduerſari.
Accedunt homicidia, rebelliones in principes, proditiones, blaſ-
phemiæ: quæ omnia, vt crimen hæreſeos componunt, ſic & pœ-
nas variant. Paul. Iuriſc. 5. Receptarum ſententiarum, *Qui nouas,*
inquit, *videtur ſapere, & vſu vel ratione incognitas religiones indu-
cunt, ex quibus animi hominum moueantur, honeſtiores deportentur,
humiliores capite afficiantur.*

## De Cautionibus contra hæreticos. Cap. 9.

1 *Hæreticorum conſortia vrbe ableganda, & conuenticula inter-
dicenda, & ſi fiant domus proſcribenda.*
2 *Hæreticos nõ caſtigantium principum ditiones in prædam primo
occupanti conceduntur.*
3 *Libri hæreticorum & improbatæ religionis comburendi.*
4 *Diſputari non debet de fide catholica publice.*
5 *Myſteria ſacra non omnibus reuelata Chriſtianis. & 6. & 7.*
6 *Anthropophagi habiti Chriſtiani.*
7 *Cabalam non legebant Hebræi, niſi quadragenarii.*
8 *Myſteria Cereris non euulgata.*
*Eleuſina myſteria quæ. eod.*
9 *Orgica ſacra, & myſteria.*
10 *Veſtalium arcana.*
11 *Palladium non ab omnibus videbatur impune.*
12 *Religionis cauſſam noluit Octauius publice audire.*

PRimum, † vt diximus, vrbe pellendi, & conuenticula illorum 1
inhibenda, prout leges ſtatuunt, quæ ſi facta comprobentur,
loca fiſco adiudicanda ſeu proſcribenda, ſi domini permiſerint ibi
ea fieri, vel, ſi inſciis dominis conductores conuenticulis loca prę-
buerint, multis caſtigandi. *l. conuenticulam,* 16 *de epiſ. & cler. C. l.* 3.
*C. de hær. & l.* 6. 11. 27. 43. 48. *de iis qui ſup reli. cont. in C. Theo. l.* 2. *de
ſum. trin. C.* ❡ Itẽ † iubetur principib. tẽporalib. ne multos hęreti- 2
cos ſinãt viuere: & moniti per eccleſiã intra annũ ditionis ſuę diœ-
ceſes &

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ceſes & loca ab hęreticis expurgent: alioquin illorum regna & di-
tiones exponunt prædæ, iura & primo occupāti, qui hæreticos
inde pepulerit, concedunt, §. *ſi vero dominus temporalis, de ſtat. &*
3 *conſuetudi. in Auth. coll.* 10. *l. ſi vero, de hæret. C.* ¶ Alia † cautio, ne
libri hæreticorum permittantur, ſed tollantur & comburantur,
prout iubent iura Pontificia, *c. fraternitatis, c.* 3. *eod. ap. Greg.* & ci-
uilia, *l. quicunq;* 8. *& l. damnato eo. C.* Perdendi enim ſunt libri im-
probatæ lectionis, *l. cetera, famil. erciſc. in P.* & ita e republ. eſſe do-
cet Liuius, *lib.* 5. *decad.* 3. *dum enim*, inquit, *diutius bellum Punicū*
*ſecundum traheretur, & paſſim a ritu ſacrificandi more patrio diſce-*
*deretur, & ſacrificuli & vates cœpiſſent hominum mentes, re ad pa-*
*tres, & ad publicam querimoniam delata, incuſati ſunt primum gra-*
*uiter a Senatu ædiles triumuiriq; capitales quod non prohiberent: da-*
*tumq; negotium M. Æmylio vrbis prætori qui Senatusconſultum re-*
*nuntiauit, & dixit, vt quicunq; libros vaticinios precationesq; habe-*
*ret aut artem ſacrificandi conſcriptam, ad ſe deferret, quæ ipſe com-*
*buſſit: neve quis in publico ſacrove loco, nouo aut extraneo ritu ſacri-*
*ficaret, cauit.* Damnato in Synodo Ætio hæretico, patres mone-
bant catholicos omnes, ne eius epiſtolas legerent, ſed abiicerēt.
*lib.* 5. *Tripart. hiſt. c.* 42. Prohibentur & colloquia & conſortia cum
hæreticis, vt non eis dicendum *aue* ſit. *D. Ioan. epiſto. c.* 1. Ita Poly-
carpus, D. Ioānis diſcipulus, noluit ſubſiſtere, nec lauari, vbi Che-
rintus erat hæreticus. *Euſeb. lib.* 4. *Eccleſ. hiſto c.* 14. *Irene. lib.* 3. *ad-*
*uerſ. hæreſ. Valent. c.* 3. Libri in arcula ſepulcrali Numæ Pompi-
lii reperti, quia leues quaſdam ſacrorum cauſſas continebant, ex
auctoritate patrum cremati ſunt. *Plin. Nono. com. de vir. illuſtr. in*
*Numa.* Iuſſit olim Senatus Romanus magiſtratibus, vt expulſis
nouis religionibus, libros aduerſarios religioni comburerent.
*Liuius lib.* 4. *decad.* 5.
4 ¶ Hoc † ipſum & pontificibus ſuis iuſſit Auguſtus, *Sueton. in*
*Auguſt. c.* 31. Alia cautio ad euitandas hæreſes, ne de fide catholi-
ca publice diſputetur, quo in dubium non reuocetur fides: tum
etiam, ne a vulgo myſteria profanentur. Et Martianus C. *l. nemo*
*clericorum,* 4. *de ſum. trin. & fide cathol.* idipſum prohibuit. Pericu-
loſa & temeraria namq; viſa eſt hæc de rebus, quas certo & indu-
bitate credere oportet, diſputatio & controuerſia: vnde experi-
mento, & ſummo cum reipubl. Gallicæ & Germanicæ damno,
nouimus pene immedicabiles fuiſſe concitatas tragœdias, quas
quoque Cæſares in religione experti, ne in poſterum ita facile o-
rire(n)tur, prouide proſpexerunt. Meminit Flauius Ioſephus, *libr.*
13. *antiq. c.* 6. controuerſia orta apud Alexandriam inter Iudæos
& Samaritanos de vero templo, re delata ad Ptolomæum regem,
non niſi cum periculo capitis ſui permiſiſſe aduocatis in iudiciū
exponere, quod eſſet mali exempli: eaq; lege tātum Sabbæum &
Theodoſium aduocatos Samaritanorum, & Andronicū pro Iu-
dæis audiuiſſe. Et iudicio pro Iudæis pronuntiato morti Sabbæū
5 & Theodoſ. adduxiſſe. ¶ Sunt † auditorum quidam, qui concer-
tationes illas audire poſſent parum catechizati, potius lacte quam
ſolido cibo egētes: cibus autem ſolidus minime infirmorum eſt,
vt ait D. Paul. *ad Hebræ.* 5. Vt non immerito olim vulgus & popu-
lus ab adytis templi pelleretur: neque etiam ſacerdotes ipſi, exce-
pto ſummo Pontifice, iſque tantum ſemel in anno, in ſancta ſan-
ctorum templi ingrederentur, *ad Hebr. c.* 9. *Leuit. c.* 16. *Exod.* 30.
6 ¶ Tanta † fuit ſacrorum myſteriorum, potiſſimum ſacroſanctæ
euchariſtię, ſecreta & reuerēs extra profanationem inter primos
Chriſtianos pertractatio, vt gentiles quibus ſecretum hoc erat,
qui audiebant adorandi myſterii corporis & ſanguinis Domini
noſtri Ieſu Chriſtianos fieri participes, Chriſtianos vt antropo-
phagos iudicibus deferrent, teſte Tatiano Aſſyrio, *oratio. contra*
*Græcos,* & Theophilo Theologo *lib.* 3. *ad Autholicum.* Firmat &
id Euſebius Pamphil. *lib.* 5. *eccleſiaſt. hiſto. c.* 1. dum ait Blandinam
martyrem inter tormenta pro Chriſtianorum innocentia excla-
maſſe: *Multum erratis, o viri, qui putatis infantium viſceribus ve-*
7 *ſci eos qui nec mortuorum carnibus veſcuntur.* Hebræi † Cabalam
non omnibus, ſed tantum quadragenariis viris legere permitte-
bant. Prohibet & publicari, palamve fieri ſacra & diuina Grego-
rius Nazianzenus. *tracta. de modera. diſputa.* Et alibi, *idem, lib. ad-*
*uerſ. Arria.* docet, non licere ſemper de Deo contendere. Docuit
idem Dominus, dum ad diſcipulos, *Lucæ* 8. infit. *Vobis,* inquit,
*datum eſt noſſe myſteria Dei, ceteris autem in parabolis.* Neq; quia
hæreſes videamus arcam fœderis, & legis veritatem impugnare,
ideo profani, qui non ſunt myſteriis initiati, cuiuſcunq; zeli ſint,
in diſputationem debent cum hæreticis manus conſerere: me-
tuentes illud ſeuerum iudicium Ozæ, qui occiſus perhibetur a
Deo, 1. *Paralip. c.* 15. quod calcitrantibus bobus, qui plauſtrum
arcæ Domini trahebant, in pendentem & labantem arcam ma-
nus vulgares auſus eſſet admouere. Fieri enim poteſt, vt Chriſtia-
nus, qui zelo Domini commotus in diſputationem aduerſus per-
tinaces hæreticos irruit, dum parum in ſacris eſt verſatus ſcriptu-
ris, vel neganda concedat, vel concedenda neget, vel malitia &
dolis & impoſturis hæreſeos capiatur. Dehinc oportet credere
myſteria, non diſputare. Excedunt captum humanæ prudentiæ
diuina, cum nō humana ſed diuina voluntate nobis allata ſit pro-
phetia, & ſpiritu ſancto inſpirati locuti ſint homines. 2. *Pet.* 1. Et
cur myſteria celentur docebit cauſſas Euſebius, *lib.* 2. *de præp. Eu-*
*ang. c.* 5. & Nicolaus Leonicenus, *lib.* 3. *de var. hiſto. c.* 44. Solent
conculcare margaritas porci, qui luti volutabro aſſueti ſunt: &
populus, qui has digladiationes exaudit, facile ſeduci apparenti-
bus & rationibus humanis poſſet, cum mente ſit obtuſiore. Vt
merito etiam illi ex profeſſo Philoſophi ſecretiora philoſophiæ,
quæ tanti non ſint ponderis, quanti religio, celauerint. Et ita con-
querenti Alexandro Magno de Ariſtotele, quod edidiſſet libros
Phyſices, reſpondit Ariſtoteles ita euulgatos, vt non editos, ob ce-
lata myſteria, quæ peruia cuilibet non ſunt, vt docet Gellius, *libro*
20. *c.* 1. Sicut & refert Diogenes Laertius, *in vita Heracl. libr.* 9.
Heraclitum Epheſium librū compoſuiſſe de vniuerſo, de republ.
& Theologia, & in templo Dianæ depoſuiſſe, ea induſtria obſcu-
rius ſcriptum, vt ſoli eruditi illum legerent: ne ſi a vulgo paſſim
legeretur, contemtui haberetur. Accedūt iſtis Pythagorica mul-
tis inuoluta myſteriis dogmata: ne contemtui publice habita vi-
leſcerent. Cuius generis & illa, quæ Heſiodus in Operibus & die-
bus profert.
¶ Apud † ethnicos quoque tanta religionis & ſacrorum reue- 8
rentia, quantumuis falſis hærerent dogmatibus, vt myſteria eo-
rum euulgare piaculum ducerent. Talia Athenis & alibi ſacra e-
rant Cereris Eleuſinæ, quæ producere in vulgus fas non fuit, vt li-
quet ex Pauſania, Lycophrone, & Orpheo in hymnis propriis. Et
proinde Phrunutus, *lib. de nat. Deorum,* & Strabo, *lib.* 9. vocat eius
templum, fanum myſticum. Huius ſacra cum Numenius Philo-
ſophus euulgaſſet, ferunt eidem ante apertum lupanar proſtan-
tes, admirantique & cauſſas non conuenientes nominibus tur-
pitudinis conſulenti, reſpondiſſe iratas, ab ipſo ſe adyto pudicitię
ſuæ vi abſtractas, & paſſim adeuntibus proſtitutas, vt ſcribit Ma-
crobius, *lib.* 1. *in So. Scipio. cap.* 2. Tanta enim ſecretorum Cere-
ris erat religio, vt nec templum eius ingredi niſi initiatis, quos
vulgus vocat ordinatos, liceret, vt indicat Liuius, *lib.* 31. dum ait,
duos iuuenes Acarnanes tanquā ob nefandū ſcelus interfectos,
quod per dies initiorum, cum initiati non eſſent, imprudētes re-
ligionis cum cetera turba ingreſſi fuiſſent templum Cereris: quę
fuit belli cauſſa inter Philippum regem Macedonum, & Athe-
nienſes. ¶ Notat † & myſteria illa Orgica Catullus, 9

*Pars obſcura cauis celebrabant orgia ciſtis,*
*Orgia quæ fruſtra cupiunt videre profani.*

Et plura de his myſteriis apud ethnicos non euulgandis ſcribit
Clemens Alexandrinus, *in Proteptico.* & Euſebius, *lib.* 11. *de præpa.*
*Euangel.* Tradunt Orpheum ab iis, quos initiabat, in primo veſti-
bulo, cum terribili auctoritate religionis exegiſſe, ne profanis
auribus inuenta ac compoſita religionis proderentur, vt ſcribit
Iulius Firmicius Maternus, *lib.* 7. *Mattheſæos.*
¶ Pomponius † Lætus quoque, vbi agit de Veſtalibus, & ar- 10
cana quædam ſeruata fuiſſe a Veſtalibus ait in templo, etiam ipſis
Veſtalibus & pontificibus ignota.
¶ Dyrcillus † item in ædificiorum libro, referente Plutarcho, 11
*in Pararell. paral.* 34. notat, cum in Ilio Mineruæ templum arde-
ret, Ilium curſu concitum demiſſum cœlo Palladium eripuiſſe
ſtatimque oculis captum, non enim mortalium lumine cerni li-
cebat: poſtmodum placata ira illius idoli, priſtinum recuperaſſe
aſpectum. Hoc ipſum accidiſſe Romę Metello, teſte Ariſtide Mi-
leſio in rerum Italicarum libro, idem auctor ſcribit, *idem paral.* 35.
is enim Romam reuerſus, vbi Veſtæ templum incenſum conſpi-
catus, Palladium eripuit, ſtatim oculis captū fuiſſe. Narrat & poſt-
modum placatam iram idoli, quod vocant Deam, viſum recu-
peraſſe.
¶ Quocirca † Octauius Auguſtus, *Sueton. in Octauio, c.* 93. A- 12
thenis initiatus ſacris, cum poſtea Romæ pro tribunali de priui-
legiis ſacerdotū Atticæ Cereris cognoſceret, & ſecretiora quædā
proponerentur, dimiſſo cōcilio & corona circumſtantium ſolus
audiuit diſceptantes. Quod, ne in vulgus myſteria profanare vi-
deretur, fecit. Et Dionyſius Areopagita, *lib. de eccl. Hierarch. c.* 2.
*Immunis*, inquit, *tangere ſymbola fas non eſt.* Et rurſum, *idem,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*lib. de myſt e. Theolog. c. 1. Hæc autem caue, ne quis profanus audiat.* Intelligit autem profanos eos, qui occupantur circa entia tãtum, nec mentis aciem excelſius vltra terrena erigunt. Quo factum etiam eſt, vt dum Deus voluit quædam ſecretiora & ſanctiora reuelare Moyſi, & manifeſta facere, eum longe a populo iuſſerit ſecedere, *Exod. c. 19.* Conſtantinus Magnus per literas Dionyſium Alexandriæ epiſcopum, & Arrium ad concordiam eſt adhortatus, & obiurgans vitio eis vertit, quod quæ latere potuerat, quæſtionẽ in medium attulerint, & nimia ad contendendum inclinatione, ea perperam vulgarint, quæ neque mouere debuiſſent: grauiter ferens, quod quæſtiones eccleſiæ euulgarentur, in qua vna fides, & vnus debeat eſſe conſenſus, vt ſcribit Nicephorus Caliſt. *lib. 8. cap. 12. 13. 14.* Et non eſſe efferenda in vulgus veritatis dogmata, Plato quoque tradit, *in Gorgia. Caue,* inquit, *ne hæc rudibus committas: hi enim derident, quod ſapientes admirantur.* Quod repetens Euſebius, *lib 4. de præparat. Euangel.* transfert in propoſitam hypotheſin, non eſſe ex diuina ſcriptura myſticas res ad multos efferendas. Accedit Apuleius, *lib. 11. de aſino aureo*, qui dum de forma initiandi ſacris Iſidis loquitur. *Ecce,* inquit, *tibi retuli, quæ quamuis audita, tamen ignores neceſſe eſt. Ergo quod ſolum poteſt ſine piaculo ad profanorum intelligentias enuntiari referam.* Sed & alia plura, quæ huc pertinent, iam tractata a nobis habes, dum ageremus de fide Catholica, quæ conniueo.

## De aliis criminibus Maieſtatis diuinæ, Cap. 10.

1 *In templis cacaſſe vel meiiſſe, capitale.*
2 *Irreligioſitatis & impietatis actio quæ.*
*Accuſans impietatis & non probans, morte mulctabatur. eod.*

1 PRo † crimine læſæ diuinæ maieſtatis fuit Piſiſtrato, in templo Apollinis ventrem exonerаſſe: atque id facinus capite ſanxit, teſte Suida in verbo, ἐν πυθίῳ κρεῖττον ἦν ἀποπατῆσαι, id eſt, *in æde Apollinis cacaſſe præſtitiſſet.* Et hoc prohibitum fuiſſe in templis, quibus duo angues pingebantur ad terrendos meientes, ſubindicat Perſius, *Satyr. 1.*

*Hoc iuuat, hic, inquis, veto quiſquam faxit oletum:*
*Pinge duos angues: pueri ſacer eſt locus, extra*
*Meiite.*

2 ¶ Intendebatur † olim actio apud ethnicos irreligioſis circa feſta, itidem & impietatis. Veruntamen impietatis reum agens nec cõuincens, morte mulctabatur, teſte Iul. Polluce *lib. 8. Onomaſt.*

## De Schiſmaticis. Cap. 11.

1 *Schiſmatici crimen diuinæ maieſtatis.*
2 *Schiſmatici hæretici ſunt.*
*Schiſma quid & quotuplex.*
3 *Schiſmaticorum crimen, & pœna.*
4 *Vnitas in eccleſia Catholica.*

1 CRimẽ † eſſe diuinæ maieſtatis ſchiſma, in quo qui id ſequitur aduerſus ſacrificium Dei, rebellis, perfidus, ſacrilegusque, & non obſequens ſeruus, filius impius dicitur a D. Cypriano. *tracta. de*
2 *ſimplic. prælato.* ¶ Accedunt † hæreticis ſchiſmatici, nec ſchiſma aliud, quam hæreſis eſt: ſeparatio inobedientia primi paſtoris eccleſiaſtici. *c. 1. 24. q. 1. c. non vos, 24. q. 5.* Differuntque, quia ſchiſma diſcedit ab eccleſia, hæreſis in ea nititur dogma ſuum defendere. *c. inter hæreſim, 24 q. 3.* Schiſma multiplex eſt, primum in fide, vel propter diuerſam fidei poſſeſſionem, vel ob diuerſam in actibus eccleſiaſticis ſententiam cum diſceſſione ab epiſcopali obedientia. Sic Auguſtino, *lib. 2. contra Creſconium,* ſchiſma eſt, recens congregationis ex aliqua ſententiarum diuerſitate diſceſſio. Hæreſis autem videtur ſchiſma inueteratum. Interdum ſchiſmaticos facit non fides diuerſa, ſed communionis diruta ſocietas. *D. Auguſt. de quæſt. in Matth. c 2.* Conſenſus idem ſchiſmaticorum & hæreticorũ, ſacerdoti Dei non obtẽperare. *D. Cypri. lib Epiſto. epiſt. 3. & li. 4. epiſt. 9.* Alios ſibi enim epiſcopos deligunt, & alia altaria erigunt: quemadmodum fecerunt Donatiſtæ, teſte Optato Mileuitano: Nouatiani, teſte Cypriano. Sicq; Optatus Mileu. *li. 1. cont. Parmanea.* deſcribit *Catholicam fidem facit verus & ſimplex intellectus: intelligere ſingulare ac veriſſimum ſacramentum, & vnitas animorum. Schiſma vero ſparſo coagulo pacis, diſſipatis ſenſibus generatur, liuore nutritur æmulatorum, & litibus roboratur: vt deſerta matre catholica, impii filii dum foras excurrunt, & ſe ſeparant, a radice matris eccleſiæ inuidiæ falcibus amputati, errando rebelles accedunt. Hæretici vero veritatis exſules, ſani & veriſſimi ſymboli deſertores, &c.*

¶ Schiſmatici † æquales, imo peiores paganis habentur. *ca. denique, 7. q. 1. c. non adferamus, 24. q. 1.* Et proinde grauior in eos pœ- 3
na. Siquidem leges iam de hæreticorum vindicta loquentes adductæ, perpetuo quoque de ſchiſmaticis loquuntur, & ius Pontificium hos ab omni ordine & dignitate ſuſpendunt, & eos qui iis conſentiunt, irritaſque horum reddunt collationes, *ca. 1. & 2. de ſchiſmat. apud Gregor.* & electiones, *ca. licet, de electio.* Et illis excommunicatis, filiis illorum denegant auxilium. *c. 1. de ſchiſma. in 6.* Atque ſi non reuocentur, a ſeculari poteſtate comprimi iubentur. *can. de liguribus, 24. q. 5. can. non vos, 23. q. 5.* Notiſſima eſt vltio ob id ſcelus Dathani & Abyronis, dum ab inferis, ruptis terræ compagibus, viui cum ſceleris conſciis abſorpti ſunt. *Numer. 16.* Docet Optatus Mileuitanus, *lib. 1.* ſchiſma magis Deo diſplicuiſſe, & ſeuerius vindicatum parricidio. ¶ Nituntur † enim iſti 4
ſoluere vnitatem eccleſiæ, in qua vnum ouile, & vnus paſtor, *D. Ioan. c. 10.* & idipſum omnes dicere monemur, *1. ad Corinth. 1.* & ſeruare veritatem. *ad Epheſ. 4.* Vna fuit arca Noe, extra quam nullus ſaluus in diluuio: & in qua typus eccleſiæ vnius, *2. Pet. 3.* Accedit & dignos eſſe animaduerſione ſeueriſſima, quia contentiones & ſeditiones concitant, quæ morte dignæ ſunt, vt paulo poſt Deo fauente probabitur.

## De blaſphemis. Cap. 12.

1 *Blaſphemare, & iurare diuerſa eſſe.*
2 *Blaſphemia crimen atrociſſimum.*
3 *Blaſphemia quid, & in quo conſiſtit.*
*Atrocitas & ſpecies eius, & vindicta diuina, pœna. Et nume. 4. 5. & 6.*
6 *Iurans per capillos aut caput Dei, aut alio modo quomodo puniatur.*
7 *Blaſphemorum quædam diuinæ animaduerſiones. Et 10.*
8 *Blaſphemia per Ironiam dicta benedictio.*
9 *Blaſphemia a Iudæis valde exoſa, & a Deo punita.*
11 *Blaſphemantem obuium cuique permittit verberare D. Chryſoſtomus.*
12 *In blaſphemorum caſtigationes, conſtitutiones Caroli V. Maximiliani, & regum Gallorum.*
13 *Blaſphemi quatenus ira, & dementia, & ebrietate excuſentur a pœna.*
14 *Deierare ſeu iurare temere prohibitum.*
*Deieratio gentilium virorum, & mulierum quæ.*

ALiud † blaſphemare, aliud iurare. Ideo hic non agetur de iu- 1
reiurando, ſed tantum de blaſphemia, qua D. Chryſoſtomus ait nihil peius eſſe. *tom. 1. in Pſalm. 95.* ¶ Maieſtatem † blaſphe- 2
mare, crimen magnum a D. Iuda habetur. *Iudæ epiſt.* Et Athanaſius, *in illud Euangel. Quicunque dixerit blaſphemiam, Matth. 12.* inter peccata & blaſphemiam hoc intereſſe ait: quod qui peccat, legem tranſgreditur, qui blaſphemat, contra ipſam Deitatem impie agit.

¶ Blaſphemia † maledictio eſt, & exſecratio, & ſacrilega detra- 3
ctio, & probroſa, & calumnioſa, quæ diuerſa eſt, & diuerſam pœnam habet, pro modo eius cui infertur. Vt erga Deum maior, in eo conſiſtens, cum probroſe Deo tribuitur, quod non conuenit, vel detrahitur quod ei conuenit. Sic in ſanctorum & religionis cauſſa quoque perpendendum. Sicut enim in principem, quam in eius magiſtratum maius crimen maieſtatis: ſic in Deum ipſum maior blaſphemia, quam in ſanctos. ¶ Tanta † autem huius criminis exiſtimatur eſſe atrocitas, vt Iuſtinianus dixerit, *§. præterea, vt non luxur. cont. nat. in auth. colla. 6.* inultum Deum hoc non relinquere, & per hoc peſtem, famem, & terræmotus, aliaſque plagas a Deo hominibus immitti. Et commentator Pragmaticæ ſanctionis *gl. in § quib. ad plenum, in verb. excoluerunt. in proœ. Pragm. ſanctio.* refert Robertum regem Galliarum, filium Capeti orantem pro pace regni, reſponſum a crucifixi imagine accepiſſe, non futuram eam, donec notoria crimina & blaſphemias exſtirpaſſet. Sic qui errant, & in errorem mittunt, diſcunt blaſphemare. *c. Apoſtolica, 24. q. 3. c. qui peccat, 23. q. 4.* Decem ſpecies blaſphemiæ colligit Lucas de Penna, *in l. omnes iudices. 5. de delato. lib. 10. C.* quas tamen ad tres contraxit Angelus Clauaſius, *in ſumm. in verb. blaſphemia, num. 3.* ex D. Ambroſio & Thoma: nempe tribuere Deo quod ei nõ conuenit, detrahere quæ eius ſunt, tribuere creaturæ quæ conueniunt creatori.

¶ Pœna † in blaſphemos canonica olim, in laicos excommu- 4
nicatio, in clericos depoſitio. *c. ſi quis, 22. q. 1.* Huic alia coniuncta, *c. 2. de maledi. ap. Grego.* vt laici ſeptem dieb. dominicis præ fo-

ribus

tibus eccleſiæ in conſpectu populi recumbentes, vltimo illorum
dierum dominico, ſine pallio & calceamentis, laqueo ſeu loro
collo inuoluto & pendente, ſedentes, non antea eccleſiam ingre-
di paterentur, quam ſex feriis in pane & aqua ieiunaſſent, & pau-
peres ſimul ſingulis diebus aliquos refeciſſent. Clericis porro re-
mittitur publica pœnitentia, *c. ex pœnitentibus, 50. diſt. c. quicunq;,*
*51. diſt. ca. 1. de bigam. Hoſtienſ. in ſum. de maledi. §. blaſphemantis au-*
6 *tem,* & indicitur priuata. ¶ Iure † ciuili ad blaſphemiam pertinet
Dei, iurare per capillos, per caput Dei, & iis ſimilia. Deus enim
ſpiritus eſt, & ei membra tribuere, habet ſummam blaſphemiam,
quam Iuſtinianus vltimo ſupplicio vindicari iubet. *§. præterea, vt*
*non luxur. cont. nat. in auth. col. 6.* Iudicibuſque curam caſtigandi
ſeuere demandat, propria nouella, & alia de ludo publicata ſan-
ctione. *l. fin. § fin. de relig. & ſumt. funer. lib. 3. C. tit. 43.* Pius autem
ſummus Pontifex antea iurantem per capillum, vel caput Dei
deierantem, vel alio modo blaſphemantem, clericũ deponi vult,
laicum anathematizari: at per alias creaturas iurantem, digna ca-
ſtigatione affici. *c. ſi per capillum, 22. q. 1.* Pontificia quoque iura vl-
tra canonicam ſtatuunt, vt huiuſmodi blaſphemi pecuniaria pœ-
na pro modo facultatum a iudicibus ſecularibus afficiantur. *c. 2. §.*
*fin. de maledic. apud Gregor.* Permittit iudicibus ſecularibus Fran-
ciſc. I. rex Galliarum inquiſitionem & captionem clericorum
blaſphemorum, dummodo poſtea remittant caſtigandos iudici-
bus ſpiritualibus. *in conſtitutio. de exſecrationibus & blaſphemiis.*
Iure diuino ſpiritus blaſphemiæ, & cum quis ex malitia potiſſi-
mum, & conſuetudine vel corruptela, blaſphemia effutit, vix ve-
niam vel in alio ſeculo obtinet, *Matth. c. 12.* niſi ſcilicet recte pœ-
nituerit blaſphemus, *can. ſertum, 50. diſt. ca. 1. § pen. de ſum. trin.* Et
in Leuitico 24. lex, vt qui blaſphemauerit nomen Domini, mor-
te moriatur, lapidibus opprimat eum multitudo populi, &c. Di-
xit Heli filiis ſuis: *Si peccauerit quis in virum placari illi poteſt Do-*
*minus: ſi autem in Dominum, quis orabit pro eo? 1. Reg. c. 2.* ¶ Pro-
7 ſtant in ſacra hiſtoria diuinæ in blaſphemos vltiones, quas verſi-
bus his quidam concludit. *Iuſtinus Goblerus Gzarinus, in c. 4. po-*
*litiæ Caroli V. Cæſaris.*

*Impius occubuit gelidis Maxentius vndis: Ioh. Cuſpinia. lib. de*
*Cæſarib. in Conſtan. Magn. De hoc Niceph. Cal. lib. 7. eccleſ. hiſt. c. 29.*
*Et carmina Prudentii de eius interitu.*

*Putribus Herodes lendibus eſca fuit:*
*Perſica Iulianum blaſphemum ſica peremit:*
*Conſtricto pœnas Commodus ore dedit.*
*Merſit & in tumidas cæcum Pharaona ſub vndas,*
*Sicut & tu iuſta cæde, Philiſte, cadis.*

Lingua Nicanoris eo mortuo miſere exſciſſa, qua templum Dei
maledixerat, & templo affixa: manuſq;, qua minatus templo blaſ-
phematus, & qua in Iudæos pugnauerat, amputata. *Machab. 2. c.*
*15. & 1. c. 7.* Et vir Dei dixit ad regẽ Achab Iſraelis. *3. Reg. 20. Quia*
*dixerunt Syri, Deus montium ipſe eſt dominus eorum & non eſt Deus*
*vallium, dabo hanc multitudinem grandem in manu tua.* Diſplicue-
runt Deo blaſphemiæ, quas dixerũt ſerui Scenaſcherio regis Aſ-
ſyriorum: quamobrem & percuſſit ex eis angelus Domini 185.
8 millia, tempore Ezechiæ, *4. Reg. 19.* ¶ Non † audebant etiam
blaſphemiam nominare antiqui, ſed per ironiam benedictionem
dicebant, vt in calumnia Naboth legimus: *Benedixit Naboth Deũ*
*& regem, educite eum, & lapidate, ſicq; moriatur. 3. Reg. c. 21.*

9 ¶ Iudæi † qui Deum verum colebant, valde hoc crimen exſe-
crabantur, vt dum blaſphemias intelligerent, obturarent aures,
& ſcinderẽt veſtimẽta ſua, vt ex lectione ſacræ paginæ paſſim ob-
ſeruatum eſt, *Matth. 26.* veluti ob res luctuoſas & maxime diſpli-
centes ſoliti erant facere. *Num. 14. Ioſ. 7. Iudi. 11. 4. Reg. 2. & 5. 6. &*
*19. Heſter 4. cum ſimil.* Minatur Deus ob blaſphemias Moabitis
filiorum Amon interitum, qualem Gomorræ & Sodomæ. *Sopho.*
*c. 2.* Legẽ tulit Nabuchodonoſor, vt qui Deum Sidraci, Abdena-
gi, Azariæ & Mizaelis blaſphemaſſent, occiderẽtur, & domus eo-
rum deſtruerentur. *Daniel. 3. can. non inuenitur, 23. q. 4.* Nec mirũ
videri debet, ſi ſeuera animaduerſio indicta ſit blaſphemiis: nam
ſi fures & latrones reliquique id genus morte puniuntur, aut pla-
gis, quanto magis impii, qui Deum membratim diſcerpunt &
blaſphemant, Iudæis deteriores, *Hoſt. in ſum. de exceſſ. præla. §. cle-*
*ricus,* qui non comminuerunt Domini nec minimum os? Iſti au-
tem conſulto per membra & fruſta verbo, quia re nõ poſſunt, diſ-
cerpere annituntur. Atq; ſi conuitia in homines mortales dicta
puniantur, nonne æquũ eſt impune non abire, qui diuinã offen-
derit tam ſceleſte maieſtatẽ? *auth. Gazaros, de hær. C.* Hinc ſumſit
occaſionem necis Naboth Iezabel: nam calumniam confinxit, eũ
blaſphemaſſe Deum & regem. *3. Reg. 21.* ¶ Exemplum † vltionis 10
blaſphemiæ refert etiam Niceph. Cal. *lib. 18. hiſt. eccleſ. c. 33.* quod
contigit etiam tempore Marci Cæſaris. Cum enim quidã Græci
& gentiles conuiuantes poſt prandium blaſphemias plures in vir-
ginem Dei genitricem iactaſſent, cum impietas illa innotuit, illi
quidem debitas pœnas dedere, ædium autem, in quibus blaſphe-
miæ dictæ fuerunt, Dominus, a ſacris noſtris nõ alienus, tum qui-
dem, quia caſus ita tulerit, periculum effugit. Non multum vero
poſt ei dormienti in ſomniis Dei genitrix aſtitit, cui diligentius
ecquid quænam eſſet percunctanti, poſtquam ipſe ſe eam noſſe
profeſſus eſt, illa ei indignitatem contumeliarum in mentem re-
uocauit. Tum ille miſer, ſupplex illi eſſe, veniamq; delicti petere
cœpit. Illa daturam ſe hoc ei, neque in præſentia ipſum ita morte
pœnas luiturum promittere: vimine autem, quod manu geſtare
videbatur, genua ipſius circumcirca veluti exarans circumſcribe-
re. Id vbi factum, poſtea auolans non apparuit. At ille ſomno diſ-
cuſſo membra illa, quæ vimine notata fuerant, ſtatim a reliquo
corpore dirupta inuenit, recenti ſanguine profluente, & in publi-
cum productus, iuſtum omnibus iudicium promulgauit. Aliud
exemplum pueri, ob blaſphemias a dæmonibus rapti, narrat D.
Gregorius *lib. 4. Dialog.* Vidi & alia apud Vincentium in Speculo
hiſtoriali. ¶ D. † Chryſoſtomus, *tom 5. ope. hom. 1. ad populum An-* 11
*tioche. & 5.* Quid faciendum eſt de iſtis blaſphemis, ſic expreſſit:
*Quia de blaſphemia dictum eſt, vnam vos omnes petere volo retribu-*
*tionem pro concione hac atque ſermone, vt in ciuitate blaſphemantes*
*mihi caſtigetis: & ſi quemquam in biuio vel foro Deum blaſphemare*
*audieris, accede, increpa: & ſi verba infligere oportet, ne recuſes, ipſius*
*faciem alapa percute, contere os ipſius, percuſſione manum tuam ſan-*
*ctifica. Et ſi vlli accuſauerint, & in carcerem duxerint, ſequere: & ſi*
*pœnas iudex pro tribunali repopoſcerit, dic cũ libertate, quod regẽ an-*
*gelorum blaſphemauit: ſi enim regem terræ blaſphemantem puniri o-*
*portet, multo magis illum contumelia afficientes. Commune crimen eſt*
*publica iniuria, cuiq; licet accuſare volenti.* Hactenus D. Chryſoſt.

¶ Carolus V. † Maximilianus in conſtitutione politica, edita 12
in comitiis Vindeliciorum anno 1548. Germaniæ, tit. 1. c. 1. 2. 3.
4. acriter blaſphemos puniri iubet, & audientes, nec accuſantes,
& iudices vindictam conniuentes. Philippus II. rex Galliarum,
*Gagui. in vita Philippi 2.* ſtatuit, vt ſi quis impietatis blaſphemiæ
reus eſſet, in fluuium vel paludem citra mortem demergeretur:
quod Tholoſæ ſeruari multoties vidi, excepto reo vſque ad ſubu-
culam nudato cauea cancellata magna ferrea, trina merſione ita
illum caſtigantes. Philippus VI. Valeſius, blaſphemos in Deum,
virginem Mariam, & diuos, conſtitutione ſua primum ad torquẽ
ſeu numellas verſatiles publice adiudicari voluit, a prima hora vſ-
que ad nonam per menſem. Quod ſi iterato in crimen incidiſſet,
ad eaſdem numellas verſatiles retracto ſtatuit die nundinarum
coram frequenti populo, ſuprema labra findi ferro candente, vt
dentes appareant: tertia vice, labium inferius: quarta, abſcindi v-
trumque labium: quinta, linguam, vt per eam, per quam pecca-
uit, torqueatur. Idem ſtatuit paucis immutatis Carolus VII. &
Franciſcus I. & Henricus II. aliique reges, vt ex eorum conſtitu-
tionibus de blaſphemiis apparet, quas colligit Nicolaus Boerius,
*deciſ. 101. num. 15. & ſeq.* D. Ludouicus rex Galliarum etiam, ſi
qui numinis, diuorumq; nomen nefarie aut iureiurando, aut ex-
ſecrando vſurpabant, eorum fronti candenti lamina notam inuri
voluit, vt refert Paulus Æmilius, *lib. 7. hiſtor. Francor.* in eius vita.
Fuerunt aliæ conſtitutiones regiæ, quę antequam ad pœnam cor-
poralem perueniant, prius per multas nõ valde exſecrabiles blaſ-
phemias tentant emendare. Graues tamen, quæ hæreſim conti-
nent, mortis pœnam expertæ ſunt ſæpe in Gallia, quamdiu valuit
in ea ius. Vt placita ſupremorum ordinum & ſenatuum ea de re
habita docent. *Pap. lib. 1. Rapſod. Areſto. tit. 2. art. 1.*

¶ Supereſt † autem huic tractationi, conſiderandum eſſe num 13
periuriis iſtis & exſecrationibus quis aſſiduus fuerit, vt ſeuerius
veluti pertinax corrigatur. Item num iracundia nimia, quæ ad
dementiam accedit, an dementia, blaſphemias pronuntiauerit, vt
tunc leuius puniatur, *arg. cano. ſi quis iratus, 2. q. 3. l. ſi non conuitii,*
*C. de iniur.* caſtigetur tamen. Quia quod iracundia pronuntiatur
in exſecrationibus, in ira ſolet originem habere: dementiam au-
tem excuſare recte quidam putant, *l. infans, ad leg. Corne. de ſicar. in*
*P. cum ſimil.* non iram, *Hoſtienſ. in ſum. de maledi. verſ. hoc autem,*
*Lucas de Penna in l. omnes iudices, 4. colum. verſic. 3. quæro, de delati.*
*lib. 10. C. videndi hac de re Ioan. Bern. Diaz in pract. c. 103. Iodocus*
*Dambaude. in praxi, & in Enchiridio cauſſa. crimina. Nico. Iacobus*
*de Monte Albano, conſ. 48. interprete, & Butrigari. in c. 2. de maledi.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sicuti nec ebrietatem, *Luc.de Pen.vbi proxime.* Nam etſi mitior pœna interdum delicto commiſſo per ebrietatem imponatur, *l. omne delictum §.per viuum, de re milit. P. c.ſane, & cap.inebriauerunt,* 22.*q.*4. in aliis tamen excuſatio ebrietatis culpam non minuit, ſed auget. Vitium ebrietas eſt, & vix permittit eccleſia orare pro iis, qui in ebrietate moriuntur, *c.1.de reliq. & venerat. ſancto.* vt nec pro iis, qui ſeipſos occidũt. *c.placuit, & ca.ſi non licet.* 23.*q.*5. In ſumma, ſi probe de hoc crimine, vt de aliis, velis iudicare, cõſidera ex noſtra methodo res ipſas, videlicet blaſphemias ipſas, nũ atroces leuioresve ſint. Subinde perſonas, quæ ſint, num errones, pditi homines, integræ vitę, hæretici, &c. Poſtremo negotiũ, qua mente dictæ prolatæve ſint, in qua cauſſa, in ludo, in contentio-
14 ne, in ira, in furore, conſulto, &c. ¶ Deieratio † ad blaſphemiam leuiorem pertinet, quę eſt conſuetudo peſſima pro leuiſſimis aut nihili rebus, inuocandi in teſtimonium Deum, aut diuos, aut iurare per cœlum, per terram, & alia, quæ Deus prohibet in ſpecie, *D. Matth.c.*5. *D. Iacob.c.*5. & ne nomen Dei in vanum ſumatur. *Exod.cap.*20. Deierabant mulieres antiquorum per Herculem, abſtinebant enim ſacrificio Herculaneo: viri per Caſtorem. Cuius rei rationem ferre non facile eſt. Ædepol autem, quod iuſiurandum per Pollucem eſt, & viro & fœminæ commune eſt. *Gellius, lib.*11.*c.*6.

## De Simonia, & ſimoniacis.

## Cap. 13.

In decreto Gratian. per 7.q. cauſſæ 1.
Et lib.5. Decretal. tit.3.
Lib.5. Extrauag. com. tit.1.

1 *Simonia crimen læſæ maieſtatis diuinæ, & hæreſis.*
2 *Simonis Magi impoſturæ, & prodigia.*
*Incantationes Simonis Samaritæ miræ. eod.*
3 *Simoniaci vnde dicti. Et Giezitæ qui.*
4 *Simonia inter crimina grauiſſimum.*
5 *Auaritiæ radix peſſima, ſimoniæ, & aliorum.*
6 *Ambitus ſimilis ſimoniæ.*
7 *Simonia quid: & duplex, mentalis & realis.*
8 *In ſimonia quomodo res conſiderandæ.*
9 *Simonia in quibus committatur, & num.*10.11.12.13. *&* 14.
10 *Benedictionis vis, & quomodo in nomine Dei Tetragrammaton fieret.*
11 *Simonia non eſt, aliquid ex laudabili conſuetudine pro ſpiritualibus ſacerdotibus porrigere alia tantum cauſſa, quam nundinationis.*
12 *Pro conſecratione aliquid accipere, ſimonia.*
*Chriſmatis nomine a presbyteris accipere, ſimonia eſt. eod.*
13 *Vicariatus, vel alicuius adminiſtrationis eccleſiaſticæ nomine dare, ſimonia.*
14 *Religionis vel canonicatus ingrediendi cauſſa aliquid petere, vel conuenire, ſimonia eſt, aut pro paſtu exigere. &* 16.
15 *Religionem ingredi inconſulto principe aliquando non licuit in Francia, quare.*
17 *Electio ſimoniaca eſt, ſi pro ſuffragio ſeu voce detur ab electo, vel ab aliis etiam electo inſcio: & quando, ſi ab aliis detur, non noceat electo. & num.*29.
18 *Beneficium quando ſimoniace dicatur poſſeſſum.*
19 *Beneficium litigioſum, ſi tranſactio facta de eo ſit, quæ cenſetur ſimoniaca, tamen non vacat per ſimoniam.*
*De beneficio valet facta amicabilis compoſitio, etſi non valeat tranſactio. eod.*
20 *Beneficiorum permutatio cum pacto, niſi fiat ſub beneplacito ſuperioris, eſt ſimoniaca.*
21 *Simoniacus eſt, qui in beneficio litigioſo corrupit iudicẽ, qui quid habendi cauſſa nominationem, aut electionem, qui pecunia accepta renuntiat nominationi vel electioni.*
*Recipiens a publico delinquente, ne pœniteat, vel a pœnitente, vt abſoluatur. numer.*22. *& homagium pro ſpiritualibus faciens, & c.*23.
24 *Simoniacis in perſonis quid conſiderandum, & de eorum intentione.*
25 *Simoniaci faciunt pro ſpiritualibus dare munus, fauorem, precium, preces.*
26 *Beneficium pro ſtipendiis debitis conferre, ſimonia eſt.*
27 *Beneficium conferre proximis, quando ſimoniam habet vel non.*
28 *Patronus filium idoneum præſentare poteſt.*
30 *Simoniaca duplici modo, vel quia ſimoniaca ideo prohibita, vel quia prohibita, ideo ſimoniaca.*
31 *Simoniæ commiſſæ plures pœnæ.*
*Excommunicatio, ſacramentorum priuatio, collationum vel ſimoniaci facti nullitas, priuatio ipſo iure beneficii. &* 13. *&* 33.
33 *Beneficium per Simoniam adeptum impetrari poteſt ante declarationem ſimoniæ. &* 34.
34 *Beneficium per incapacitatem poſſeſſoris impetrari in Gallia nequit ante declaratam incapacitatem.*
35 *Beneficio ſimoniace prouiſus etiamſi inſcio, ſi ſimonia facta ſit, debet illud eiurare in conſcientia. vide &* 40.
36 *Simoniace beneficium poſſidens, quomodo purgare poſſit ſimoniam.*
37 *Simonia in ingreſſu religionis commiſſa quomodo puniatur.*
38 *Simoniace data vel accepta non reſtituuntur danti, nec remanent apud accipientem, ſed dantur eccleſiæ, in cuius iniuriam ſimonia fit.*
39 *Renunciatio ſimoniace facta quomodo improbanda.*
41 *Simoniacis in beneficiis a quibus diſpenſari poteſt.*
42 *Beneficii litigioſi concordia, aut non litigioſi permutatio quomodo fieri debeat.*
43 *Simonia quæ locum non habet in curia Romana, & quæ habeat.*
44 *Beneficiorum taxationes curiæ Romanæ, & burſales regulæ cancellariæ & annatæ in Gallia ſublatæ.*
45 *Concordata quatenus non ſeruanda in Gallia.*
46 *Simoniace beneficium viuentis aſſecutus, vt puniatur.*
47 *Simoniace ordinantis & ordinati pœna.*

Simoniæ † crimen ad exemplum criminis maieſtatis accuſatio- 1
nem habet, *cap.ſi quis, §.porro,* 6.*q.*1.*c.ſane,* 15.*q.*3.*l.ſi quemquã,* 29.*de epiſc. & cler. C.* etſi in pœna differant, *d.c.ſi quis, §.porro, & c. fin.*6 *q.*1.*c.licet Heli, §.pen.de ſimo.* Et qui in ſimoniæ labem incidunt, hæretici habentur, *c. quicunq;, cum* 2.*ſeq.*1.*q.*1.*can. cum liqueat. ca. presbyter ſi pecuniam, eo.c. quoties, de ſimo.* atque vt hæretici accuſantur, *in d.§.porro, & ca.fin.§.ſed cum omnes,* 6.*q.*1. Et nomen ipſum ſimoniæ, quod ſectam ſignificat particularem ab eccleſia Catholica, per ſe docet, hæreticos eſſe ſimoniacos. Siquidem ab auctore erroris Simoniaci dicti ſunt, *c. qui ſtudet,* 6.*q.*1. vt reliqui hæretici, & ſchiſmatici. Montaniſtæ, Manichæi, Priſcillianiſtæ, & eius farinæ alii nebulones. *l.damnatis,* 6.*C. de hæreti.*
¶ Simon † Magus quippe, vt in hiſtoria recenſetur Apoſtolica, 2
primus tentauit gratiam habẽdi & dandi Spiritum ſanctum mercari ab Apoſtolis per manuum impoſitionem, & operandi ſacra miracula: accepitque ob ſceleſtam hanc pecuniæ oblationem & perditam mẽtem reſponſum ab eis, pecunia tua tecum ſit in perditionem, quod exiſtimaſti donum Dei per pecuniam poſſidere. *Actuum,* 8.*c.reperiuntur,* 1.*q.*1. Addictus enim is impiiſſimis magicis artibus, exiſtimauerat prodigia & incantamenta, quæ callebat dæmonica, ſacris miraculis cõiungenda pretio, vt homines in ſui maiorẽ traheret admirationem, quam etiã Claudius Cęſar & populus rudis veneratus aliquãdo eſt, donec illius artes cõfuſæ & patefactæ Dei virtute a Beato Petro fuerint. In cuius victoria plures fuerunt quoque ab errore reuocati. Tantum enim ille Samaritanus Simon præſtigiis dæmonum in peius profecerat, vt ſe pro Deo iactitaret, & filium Dei Chriſtum. Ludicra quædam, quę vulgares dementabant, addens. Videbatur enim illum ſtatuas per ſeipſas iubere mouere, vaſa domeſtica ſeipſa tranſportare, ipſe flammas ſibi circumdans non videbatur, ferebatur in aere, ex lapidibus fuco facto panes reddebat, draconis formam induebat, in aurum ſe totum transformabat, fores probe occluſas recludebat, medebatur incurabilibus, vt putabatur, morbis: & alia plura, quæ illi nomen impoſtoris ſeu magi dederunt, & quæ parum aut nihil illi profuerunt, quin ſuo ſcelere detecto miſere interierit, *de iſtis omnib. præſtig. & vita & morte Simonis Magi. Niceph. Caliſt.lib.*2.*ca.*27. *Irenæ.cont.hæreſes, ca.*20. *Abdias, lib.*1.*hiſto. Apoſto. Clem.in lib.recognitio.* remanente tamen ſua nundinationis ſpurciſſima nota, quam qui ſequuntur, ſimoniaci dicuntur. ¶ At-
que † eo nomine quoq;, & qui diuina dona pretio diſtrahere a- 3
moliuntur, continentur: qui Giezitæ, a Giezi auctore primo venditionis diuinorum appellati ſunt. 4.*Reg.*3.*d.c. qui ſtudet,* 1.*q.*1.
¶ Grauiſſimum † inter crimina delictum ſimoniæ habitum eſt, 4
*c.ſicut ſimonia, de ſimo.* vt cetera crimina eius comparatione pro nihilo reputentur. *c.per tuas,* 32.*§.pen.eod. ca.fin.*1.*q.*7. Quia grauius ſit ęternam, quam humanã offendere maieſtatem. *auth. Gazaros, de hæret. C.c.vergentis, eo.ap. Greg.c.ſicut qui eccleſiã.*17.*q.*4. Et qui in religionem publicã committit, in omnes infert iniuriam,

crimenque

crimenque patrat publicum, l. Manichæos, C. de hæret. habetq; di-
uinam animaduerſionem promtiſſimam & certiſſimam, nempe
damnationem æternam, ni pœnitentia & iuſtis aliis modis elua-
tur: idq; c. 8. Actorum indicat, dum dixit Simoni Mago Petrus, vt
eius pecunia eſſet cum illo in perditionem. Indicat & lepra quæ
adhæſit Giezi & eius poſteris, 4. Reg. c. 5. Et quod dicitur de Iero-
boam, qui faciebat ſacerdotes eos, qui eius impleuiſſent manus,
3. Reg. c. 13. cuius domus & poſteritas deſtructa, 3. Reg. c. 15. Fidem
& facit Iudę exemplum qui negotiata venditione Domini noſtri
Ieſu Chriſti, laqueo ſe ſuſpendit: quod & refertur in c. eos qui, 1. q.
1. Sed & in hoc ſimoniæ ſcelere ſacrilegium intercedit & impie-
tatis, dum ea quæ pretium nullum æquale recipere poſſunt, mo-
dico & vili pretio quis in commercium pertrahere nititur: cum
ei quæ diuini iuris ſunt, humano non poſſint pretio & commer-
cio acquiri, §. nullius, de rer. diuiſ. l. inter ſtipulantem, §. ſacra, de ver.
oblig. P. §. idem iuris, de inutil. ſtipul. l. ſed Celſus, de contrah. emt. P. l.
hanc legem, 22. & l. & quod ſoluerit, 23. eod. tit. facit c. quæ ſemel, 19.
q. 3. l. in tantum, §. ſemel, de rer. diuiſ. in P. § ſacra, eod. titu. ¶ Auaritia
5 † radix eſt iſtius criminis, ſicut & aliorum plurium, ex quo in ec-
cleſiam Dei irrepſit, c. diaconi, §. nunc autem, 93. diſtinct. Et proin-
de peſtifera dicitur radice orta ſimonia, c. cum liqueat, 1. q. 1. Et ſta-
tim vbi apparere incipit eliminanda, c. ſicut ſimoniaca, 6. de ſimon.
c. 2. §. fin. eod. tit. in ext. com. ne lues reliquum corpus inficiat, neve
ab hac ſimoniacus in alia tranſeat peccata, vtpote cæcus iam cu-
piditate redditus, c. auaritiæ, de præb. apud Greg. vide peccata auari,
c. ſicut, 47. diſtinct. & Eccleſ. c. 10. & auaritia idolorum ſeruus effe-
ctus, cap. idololatria, 28. q. 1 D Paul. ad Coloſſ. 3. ca. cum omnis, & c.
6 ſicut vrgeri, 1. q. 1. ¶ Putant † communiter interpretes idipſum eſſe
ſimoniam in ſpiritualibus, quod in officiis ſecularibus ambitus.
7 ¶ Simonia † porro eſt voluntas, mediante pretio, vel pactione
ſeu fauore illegitimo, conſequendi, emendi, vel vendendi ſpiri-
tualia ſacra, vel ſpiritualibus huiuſmodi annexa, hæc finitio colligi
poteſt ex gloſſ. in ſumma, 1. q. 1. & c. qui ſtudet, ead. q. 1. aliam finition.
vide apud Hoſtien. Hæc duplex, mentalis vna, c. qui ſtudet, 1. q. 1. &
quæ ad actum peruenit alia. Mentalis, quod pertinet ad Deum,
qui falli non poteſt, pœnam diuinam exſpectare debet, dum quis
ſine pactione ea nihilominus ſpiritualia dat ſacra, vt temporalia
conſequatur: vel contra, ſi temporalia, vt percipiat ſpiritualia. Ec-
cleſia tamen hanc non punit, quia de occultis non iudicat, c. a no-
bis, de ſenten. excommun. c. vnic. §. cum enim, vt eccleſ. benef. ſine qua
diminut. conf. c. conſuluiſti. 2. q. 4 & niſi quatenus in actum perue-
nit, c. ex tua, 20. & c. ſi. de ſimo. Et paria, non eſſe, & non apparere, in
hoc caſu habentur, in iudicio humano, l. in lege, de contrah. emt. P.
8 quod de alia tantum agit. ¶ Itaq; † in ſimonia conſideramus res,
ex quibus vel in quibus ſimonia committitur: videlicet quod ſint
ſpirituales & Dei beneficia, vel quæ ad cultum Dei, vel eius rem
pertineant: cum rebus temporalibus, quæ cum his permutantur.
Item cum his perſonas quæ interueniunt, a quibus fit ſimonia. Et
negotium quod geritur, & ad quem pertineat factum ſimonia-
9 cum, & intentio negotiantium in iſtis. ¶ At † quare hæc conſide-
randa ſunt, docebit pœna ſimoniacis impoſita. Res ſimoniacæ ha-
bitæ ſunt, primum pro benedictione nuptiarum, vel aliarum re-
rum, vel pro exſequiis mortuorum, quippiam temporale cũ pa-
ctione vel conuentione accipere. Et nolle niſi dato pretio bene-
dicere, c. ſua nobis, 29. & c. cum in eccleſiæ corpore, de ſimon. ¶ Quia
10 † benedictiones inter ſacra & ſpiritualia ponuntur, cum non fiát
niſi inuocato Dei nomine, & ſacerdos ſit qui inuocat, Deus au-
tem benedicat, ca. dictum eſt, 1. q. 1. Num. 6. Et ſcribit Rabi Moſc.
Ægyptius filius Maimonis. Rab. Moſch. Ægyp. in 61. c. primæ par-
tis libri more, ſacerdotibus Hebræorum tantum licuiſſe pronun-
tiare nomen Tetragrammaton יהוה, quod deberent populum
benedicere per ſcem hamephoraſc, id eſt, per nomen Dei expo-
ſitum, 12. vel 42. literarum, quod ex prædicto nomine quadrilite-
ro naſcitur, Gal. lib. 10. con. Iud. c. 2. Fiebatque hæc benedictio per
ſacerdotes, tribus digitis ambarum palmarum erectis, & duobus
depreſſis, ad deſignandam perſonarum in vna eſſentia diuinitatis
trinitatem, Rab. Moſc. in proximo citato loco. Docet & benedictio-
nes pendere a ſolius Dei auctoritate exemplum Balaam, Numer.
c. 22. 23. & 24. Item & manus impoſitio, quæ cum orationibus
ſacerdotum fit, c. manus 1. quæſt. 1. benedictionem habet. Accedit
quod Dauid de forma benedictionis ait, & non dixerunt qui præ-
teribant benedictio Domini ſuper vos, benedicimus vobis in nomine
Domini, Pſal. 128. Inde quoque ſimoniacũ habetur, pro manuum
impoſitione quippiam repoſcere, can. 1. de ſimon. can. epiſcopum, 1.
11 quæſt. 2. ¶ Laudabilis † tamen conſuetudo, qua receptum eſt ali-
quid pro ſuperioribus rebus & ſimilibus, ſacerdotibus porrige-
re, improbanda non eſt: quinimo laici eam ſeruare cogendi ſunt
cum nota hæreticæ impietatis, ſi contradicant, c. ad apoſtolicam,
42. de ſimon. c. quæſitum, 1. quæſt. 3. Neque ad ſimoniam pertinent,
quæ alio nomine, quam nundinationis & commercii dantur &
accipiuntur a ſacerdotibus, & iis qui diuina beneficia nobis diſ-
penſant: veluti, ſi in alimenta & ſumtus qui ab eis fiunt in cura &
ſolicitudine viſitationis, vel auxiliario nomine præbeantur tem-
poralia, ca. iudices, 1. quæſt. 1. vbi late hoc explicatur ca. tua nos, ca. etſi
quæſtiones, de ſimon. Dignus eſt mercenarius mercede ſua, D. Lucæ
10. & 15. D. Matth. c. 10. 1. ad Timoth. 5. c. eccleſiis, 13. quæſt. 1. c. cum ex
officii, de præſ. & qui altari ſeruit, ex eo viuere debet, ca. cum ſecun-
dum apoſtolum, de præb. c. ex his, 12. quæſt. 1. non alligandum os bo-
ui trituranti, Deuteron, 25. 1. ad Corinth. 9. & qui ad onus eligitur,
repelli non debet a præmio, d. c. cum ſecundum, & c. caritatem, 12.
quæſt. 2. c. quicumque, c. eccleſiaſticis, ead. quæſt. 2. l. vnic. §. pro ſecun-
do, de caduc. tollen. Cod. Nec minus gratis iudex facere dicitur, qui
ſportulas accipit, l. plebiſcito, de offic. proc. P. ca. cum ab omni, de vit.
& hon. cler. ¶ Secundo, † & ſimonia dicetur, aliquid dare pro con- 12
ſecrationibus epiſcoporum, benedictionibus abbatum, c. 1. & ca.
ſicut pro certo, de ſimon. pro eccleſiarum conſecratione, excepta
procuratione, c. cum ſit Romana, eod. pro ordinationibus clerico-
rum, d. c. 1. & ca. ſicut pro certo, & c. ex multis, ca. res eccleſiæ, ca. ſi quis
præbendas, 1. q. 3. ca. ordinationes, 1. q. 1. pro chriſmate eccleſiis diſtri-
buendo, abolita contraria penitus conſuetudine, d. c. ſicut pro cer-
to, & cap. ea quæ, 16. & c. in tantum, de ſimon. ¶ Pro † miniſterio ec- 13
cleſiaſtico ſeu vicariatibus exercendis, c. ad noſtram, & c. conſulue-
re, 36. de ſimo. pro abſolutione excommunicationis danda aliquid
petere, c. ad aures, 24. eod. pro ſigillis, quæ vocantur paſtella, litera-
rum ordinationum, c. 1. §. 1. eod. c. ſi quis obiecerit, 1. quæſt. 3. pro qui-
buſcunque recipiendis ſacramentis, c. dictum eſt, & c. quicquid, 1.
quæſt. 1. vt pro baptiſmo, & confirmatione, c. baptizandus, ca. quic-
quid, cap. placuit, & can. vt nullus, 1. quæſt. 1. pro euchariſtiæ præbi-
tione, d. c. dictum eſt, 1. q. 2. & ſimilibus. Pactum omne de dando a-
liquo pro ſpiritalibus, c. fin. de pact. ¶ Et † proinde prohibitum vt 14
ſimoniacũ, ex pacto pro ingreſſu religionis ſeu monaſterii quip-
piam petere vel ſtipulari: nulla prohibitione facta de oblatione
libera, c. tua nos, 34. de ſimon. quæ ſpontanea non improbatur. Im-
probatur tamen, ne pro paſtu ſeu conuiuio quædam non oblata,
in receptione ſeu initiatione canonicatus, vel regulæ monacha-
lis, ca. veniens, 19. ca. Iacobus, de ſimon. ca. ſi quis obiecerit, & c. fin. 1. q.
3. Neque in contrarium admittitur fucus paupertatis monaſte-
rii, neque diſtinctio ſexus, monaſteriorum mulierum & virorum,
ca. quoniam ſimoniaca, ca. 40. de ſimon. Quamuis D. Thomas non
improbet morem recipiendi pro ingreſſu monaſterii, ſi mona-
ſterium paupertate prematur, & eius opes non ſufficiant recipi-
endis: cui tamen aduerſatur concilium generale, dict. c. quoniam.
Melius enim eſt non recipere ſupra facultates, ſi eas inſufficien-
tes arbitratur, quam impingere in ſimoniam, aut malum facere,
vt inde eueniat bonum: bonum enim bene fieri debet, vt proſit.
¶ Fuerunt ¶ aliquando & detectæ alicubi artes, vt ait Beatus Rhe- 15
nanus lib. 2. rerum Germanicarum, quibus qui opibus pollerent a
callidis monachis circumuenirentur, & eos veluti piſces in naſ-
ſam pellicerent: vt fuerit ideo lex Francica lata, ne liceret incon-
ſulto principe ſe addicere monaſterio. ¶ Aufrerius † in addit. Ca- 16
pell. Tholoſ. 311. quæſt. ſcribit, nihilominus valere ſtatuta eccleſia-
rum, vt pro receptione in eccleſiam præſtetur modicum quip-
piam, vt cappa, lectus, vel aliud modicum in vtilitatem & refe-
ctionem eccleſiæ, non autem in priuatam vtilitatem canonico-
rum, ex ſententia Hoſtienſis, argum. c. cum omnes, & ca. ex parte, de
conſtitut. Reſoluit tamen Guido Papæus deciſione 80. non poſſe
valere pactum, vt quid detur pro ingreſſu monaſterii, tanquam
ſimoniacum. Citat & Baldum in l. ſi quemquam, de epiſco. & cleric.
qui hanc diſcutit in vtramque ſententiam. Vt & beneficia con-
ferre retenta portione, ſimoniacum, c. Matthæus, & ca. nobis, de
ſimon. c. penult. de elect. ¶ Inter † ſimoniaca quoque connumera- 17
tur, aliquid promittere vel dare pro ſuffragio electionis, c. vnic. §.
fin. vt eccle. benef. ſine qua dimin. confer. niſi ab inimicis electi, vel
eo reclamante ab aliis detur vel promittatur, d. ca. nobis, & c. ſicut
tuis literis, de ſimon. ¶ Similiter † ſimonia, pro beneficio conſe- 18
quendo largiri vel promittere, c. ex inſinuatione tua, c. 26. eod. eiu-
rare ſeu renuntiare beneficium pecunia accepta, ca. niſi cum pri-
dem, de pact. pactum pro eo vel aliis ſpiritualibus facere, c. fin. eod.
potiſſimum transſigere de beneficio & ſimilibus, ca. conſtitutus,
c. ſuper eo. c. præterea, de tranſact. Quia tranſactio fieri non poteſt,

niſi aliquo dato vel retento, *l. tranſactio, C. eo.* vnde ſimonia. ¶Hic
19 † tamen dignum obſeruatione arbitror, beneficium litigioſum,
de quo tranſactum eſt, quamuis nulla ſit tranſactio, non ideo va-
care, ſed litigii cauſſam priſtinam reſtitui, & rurſum ſecundũ eam
agi, *gloſſ. in ca. conſtitutos, eod.* Sed & receptum eſt, non improbari
concordiam de beneficio, ſi amice & gratis fiat de lite, *dict. c. ſuper
eo. c. ſtatuimus, c. de cetero, de tranſactionib.* vnde amicabilis dicitur
compoſitio. Imo ſi in arbitros de controuerſia compromiſſum
ſit, pro bono pacis valet eorum ſententia, quæ pro beneficio ceſ-
ſo ſtatuit alterutri penſionem annuam, *c. niſi eſſent, c. 21. de præben.*
20 ¶Item † ſimoniaca dicitur permutatio beneficiorum, cum pa-
ctione aliqua vel conuentione interueniente, niſi in ea reſerue-
tur voluntas & auctoritas ſummi pontificis, *c. cum pridem, de pact.
c. cum olim, & ſeq. c. quæſitum, de rerum permut.* vt paulo poſtea in
21 pœnis dicetur. ¶Pro † ſimoniaco & is habetur, qui de beneficio
contendens & litigans, corruperit iudicem, propter connexita-
tem cauſſæ, *gl. in c. vendentes, 1. quæſt. 3. Panorm. & Fel. in c. tua nos,
de ſimon. idem Panor. in c. cum ab omni, de vit. & honeſt. cler. Rebuff.
tract. de pacif. poſſe, nu.* 198. Et qui laico dedit pecuniam, vt a prin-
cipe obtineret epiſcopatum, aut abbatiam, vel ad eas vel ſimiles
nominationem, *c. de hoc, de ſimon. Barb. conſ. 13. incip. a Ioue, col. pe-
nul. 3. vol. conſ.* Sic & is qui pecunia accepta renuntiat nominatio-
ni, vel electioni de ſe factæ, vel contra, ſi det vt ſuffragia aucupe-
tur, *c. cum ſuper, & ibi Pan. 3. notab. de conſec. Ioan. de Ayma, in com-
men. ad concord. & ad rub. de conuento approbati in ver. pactionibus.*
22 ¶Simoniacum † quoque recipere emolumentum temporale a
quocunq; publice delinquente, vt epiſcopo, vel eius adminiſtris
peccatum celet: vel vt non pœnitentem reconciliet: vel vere pœ-
nitentem a reconciliatione remoueat, *ca. nemo presbyterorum, de
23 ſim.* ¶Si † quis pro conſequendis ſpiritualibus hominium ſeu ho-
magium faciat, *c. ex diligenti, c. 17. eod.* pro corrigendis exceſſibus
& criminibus puniendis a laicis aut clericis pecuniariam pœnam
accipere, & pecunia accepta in eccleſia permittere pſallere, *ca. li-
cet, de pœn.* Permutare temporalia cum ſpiritualibus, *c. fin. de rer.
permut.*

24 ¶In † perſonis a quibus ſimonia fit, conſideramus intentionẽ,
& cuius cauſſa committant. Nam non datum vel acceptum facit
ſimoniam, ſed ſi detur ea intentione, vt accipiantur ſpiritualia: vel
ſi quis det ſpirituale pro remuneratione temporalis rei, & cum
pacto, *c. & ſi quæſtiones, & c. tua nos, de ſimo. c. quicquid,* 1. q. 1. ¶Exi-
25 ſtimant † inter temporalia, quæ pro ſpiritualibus data faciunt ſi-
moniam, interpretes, pretium ſeu emtionem, munus, fauorem,
preces. De pretio & pactionibus expedita res eſt ex iam dictis. De
munere quoque, in quo quantitatem modicam etiam excuſare
ſimoniam dicunt, & contra arguere, ſi magna, *d. c. & ſi quæſtiones,
& c. tua nos, & c. iudices, & c. ſi quis abiecerit, 1. q. 1.* adhibito mode-
ramine, quo in cenſendis largitionibus ſeu xeniis in iudices vti-
mur. *l. ſolet, de of. proconſ. in P. l. plebiſcitum, de off. præſi. P.*

26 ¶Dicitur † hic tamen ſimonia, ſi eo animo beneficium confe-
ratur famulis, vt loco ſit ſtipendiorum debitorum, vel vt ſtipen-
dia debita remittant, *c. ſunt nonnulli, 1. q.* 1. Quod & deteſtabile vi-
ſum eſt, vt & ſuis, vel nobilium indignis famulis ad gratiam do-
minorum conferre, vt qui hoc fecerint, Antichriſti dicantur, *ca.
peruenit,* 1. q. 3. Dignis tamen famulis, ſemota omni pactione vel
remunerationis ſpe, non eſt improbatum, *c. cum in cũctis, de elect.*
27 ¶Exemplo † ſimili, ſimonia iudicatur conferre beneficium fauo-
re vel amore humano, ſeu proximitatis habita ratione, *d. ca. ſunt
nonnulli, & c. tuam, de æta. & qual. c. vn. §. in omnib. in ver. carnalita-
tem, vt eccl. benef. ſine qua dimin. confer.* contra, ſi ſemota humana
omni affectione conferatur proximo idoneo, vt extraneo. ¶Quo
28 † caſu magis laudandus, quam vituperandus venit collator, *c. non
ſatis, 86. diſt. in gl. & DD. in c. 1. de cohab. cleri. & mul. expreſſ. in c. fi-
lium, 1. q. 1. c. dilectus, & ibi Pan. in 1. not. de præben. Pan. late in conſ.
96. incip. Ieſus, vol. 2.* Vt & patronus ad eccleſiam vacantem recte
præſentat filium idoneum, & capacem muneris, *Pan. in ca. conſu-
luit, de iure patro.* Quia ceteris paribus, quis potius ſuis, quam ex-
traneis benefacere tenetur, *d. c. non ſatis, 86. diſt. c. omnino, 31. diſt.*
Neq; quiſquam vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed eam fo-
uet & nutrit, *D. Pau. ad Epheſ. c. 3. c. non æſtimemus, 13. q. 2.* Cauere
tamen oportet epiſcopos, ne hoc prætextu fucum Deo, qui cun-
cta nouit, facere velint, ne incidant in titulum de filiis presbyte-
rorum: neve ſucceſſionem hereditariam in beneficiis admittant,
aduerſum ea quæ iam prohibita fuere, *c. tranſmiſſa, & c. ad exſtir-
pandas, de fil. presb. c. conſuluit, de iur. patron. c. apoſtolica, 8. q. 1. c. ac-
cepimus, de pact.* Nam *Iuuen. Sat. 2,*

*Vltra Sauromatas fugere hinc libet & glacialem*
*Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,*
*Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia viuunt.*

¶Inuoluitur † crimine ſimoniæ non ſolum qui ſibi acquirit ſpi- 29
rituale, vel dat vetita, vt habeat ſpiritualia, vel ſi ipſe dat: ſed etiam
& is, cuius nomine, & in cuius vtilitatem hæc nundinatio fit, vel
ſciente, vel inſcio eo facta eſt, *c. nobis, 27. & c. Matthæus, 23. de ſim.
c. Cumana, c. eccleſia veſtra, de elect.* ¶Ceterum † conſiderant iura 30
noſtra & rationem prohibitionis ſimonię duplici modo. Quippe
quia ſimoniaca quædam dicuntur, quod vetita ſunt, vt ſimoniaca:
alia vt ſimoniaca prohibita ſunt, quia ſimoniaca eſſent ſui natura,
*gl. in c. ex parte, in 1. de of. deleg. in ver. dimittere, Pan. in c. 1. nu. 5. & 6.
de ſimo.* Quæ omnia propius diſcutienda ſunt, ad pœnam ſimonię
legitimam conſtituendam, propter quam ſuperiora adiecimus.

¶At † pœna non vnius generis eſt, ſed pro modo facti & nego- 31
tii varia. Prior eſt excommunicatio, *c. quicunq; ſacris, & c. quiſtu-
det, 1. q. 1. c. ſicut ſimoniaca, & c. 2. §. ſi. de ſimo.* Atque ipſo facto hanc
incurrunt, quicunq; ſimoniam manifeſtam aut occultam com-
mittunt, aut conſentiunt, aut mediatores fiunt, cuiuſcunque ſint
dignitatis aut poteſtatis, a qua abſolui nequeunt ab alio, quam a
ſummo pontifice, vel per alium in mortis tantum periculo, *c. 2. §.
1. & §. ſtatuentes, de ſimo. in extra. com.* Et laicus vltra excommuni-
cationem, ſacramentorum declaratur exſors. ¶Suntque † ſimo- 32
niace factæ electiones, cõfirmationes, prouiſiones, & aliæ diſpo-
ſitiones nullæ, in eccleſiis, monaſteriis, perſonatibus, officiis ec-
cleſiaſticis: neque ius aliquod prouiſo acquiritur, nec fructus ſuos
facit, *d. c. 2. & c. ea quæ a ſanctis patribus, 1. q. 3.* Quod intelligẽdum
dicunt, ſi ſimonia realis interuenerit, nempe ſi aliquid datum vel
acceptum ſit: non ſi ſolæ preces interueniant, quia illæ in dubio
non faciunt ſimoniam in hoc ſeculo punibilem, *c. tua. & Fel. in c.
cum eſſent, de ſim. late Gomeſ. in reg. Cancel. Rom. de trien. poſſeſſ. q. 12.*
¶Obſeruandum † quoque hic eos, qui ſola conuentione ſimoni- 33
am committunt, iure communi antiquo, non dici priuatos ipſo
iure beneficio, ſed priuandos per ſententiam, *ca. presbyter ibi pri-
uetur, 1. q. 1.* vt de occulto ſimoniaco quoque traditum eſt, *ca. 2. de
confeſſ. c. inſinuatum, de ſimon.* præterquam ſi realis eſt ſimonia, *D.
Guil. in ſuis deciſ. tit. de cond. deciſ. 5.* Et conuentione ſimoniacum
interim habere coloratum quidam putant, ad antiqua iura reſpi-
cientes, titulum, vt periuros, homicidas, & alios, de quibus memi-
nit Innocentius *in c. cum noſtris, de conceſſ. præb. ita & tradit Gom.
in proxim. citata reg. de trien. poſſeſſ. q. 12. in 2. princ. limit.* Iure tamen
nouo, grauitate ſimoniæ acutius perpenſa, & frequentia delicti
pernicioſe germinante, ſimoniaci ſiue conuentionales, ſiue rea-
les ſunt, ipſo iure priuati dicuntur beneficiis, *c. 2. de ſimon. in extr.
com. in concilio Conſtant. ſeu in pragmat. ſanct. §. hinc autem ſacer, de
annatis.* Et ita beneficium ſimoniaci ipſo iure vacat, & poteſt im-
petrari ante declarationem ſimoniæ, quæ fieri poterit poſt im-
petrationem, iuxta cap. cum ſecundum, de hæreticis, in ſexto, *diſ-
putat. Rebuff. 3. part. praxeos benefic. tit. de ſimon. renun.*

¶Nec † puto conſtitutionem Gallicam in Aureliacenſibus 34
comitiis latam, anno 1561. dum articulo 4. inhibet ordinariis
collatoribus, iure deuoluto conferre beneficia per incapacita-
tem poſſeſſoris, priuſquam incapacitas fuerit declarata, intelligi
de incapacitate, quæ per ſimoniam fit, ſed de incapacitate alia,
quæ eget declaratione, quando titulum coloratum qui poſſidet
videtur habere: quia quis titulo ſimonia commiſſa, ipſo iure pri-
uatur, *Felin. in ca. 2. colum. 3. de reſcript.* Et qui beneficium per ſi-
moniam etiam per triennium vel amplius poſſedit, non poteſt
iuuari regula, de pacificis poſſeſſoribus, quamuis per triennium
ante commiſſam ſimoniam poſſederit, *Rebuff. tractat. de pacific.
poſſeſſ. num.* 198.

¶Ita † electus ſimoniace non dicitur titularius vere, & proin- 35
de etiam nullo interpellante, ſi ſuę velit proſpectum iri conſcien-
tiæ, illud eiurabit, *ca. Matthæus, de ſimon.* etiamſi ſimoniam ipſe
non commiſerit, & dum beneficium nactus ſimoniam commiſ-
ſam ignorauerit, vel a patre, qui emit ſibi beneficium, vel ab alio,
*c. nobis fuit, 27. eo.* Si electio vitioſa eſt, & ita nocet electo, ſiue eius
etiam culpa, *c. Cumana, & c. eccleſia veſtra, de elect. §. ſi vero, in ver.
ſimoniacam, de elect. in pragm. ſanct.* Vt vis illata teſtatori, vt here-
dem quem nolebat relinqueret, nocet non tantum ſi heres vim
intulerit, ſed etiam ſi eo inſcio alius eum inſtituere compulerit, *l.
1. ſi quis ali. teſtament. prohibuerit, libr. 6. C. titul. trigeſimoquarto.* Si
tamen electus, antequam eligeretur, reclamauerit huic pacto ſi-
moniaco, pro ſua electione inito, vel pro confirmatione, ei non
obeſt: quemadmodum nec ſimonia ab inimicis in caput eius, qui
bene-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

beneficium conſecuturus eſt, commiſſa ei officere æquum eſt, ca.
ſicut tuis literis, c. 33. de ſimo.
36 ¶Notant † etiam iura mederi poſſe ſimoniæ commiſſæ ab a-
lio, quam a poſſidente, qui tamẽ etiam inſcius eius labe inficitur,
ſi is qui ſimoniace obtinuit renunciet beneficium, & iterum im-
petret ab epiſcopo, c. ex inſinuatione, potiſſimum ſi agatur de ſim-
plici & minori beneficio, de cuius ſimonia pontifex proprius diſ-
penſare poteſt, ſic eiuratum in eius manibus iterum conferendo,
cap. nobis, & ibi gl. in ver. reprobanda, de elect. cap. ex inſinuatione, eo.
Sed hoc fieri debet, antequam electio fuerit accuſata, vt ſimonia-
ca: alioquin epiſcopus non confert hoc modo, c. pen. de elect. ¶A-
37 lia † pœna in ſimoniaco ingreſſu religionis, vel in adeptione poſ-
ſeſſionis canonicatus regularis: vt abbas & monachi, qui accepe-
rint pecuniam pro ingreſſu monaſterii, ab officio & beneficio
ſuſpendantur, donec pœnitentiam ſibi impoſitam impleuerint,
c. dilectus, de ſimon. & receptus in aliud monaſterium arctius pœ-
nitendi cauſſa transfertur, c. veniens, 19. c. de reg. 25. da. quoniam ſi-
monia, 40. eod. Videlicet, ſi per inquiſitionẽ de ſimonia appareat:
alioquin ſi per accuſationem detegatur, conuicti deponẽdi ſunt,
c. dilectus filius, 30. & c. de hoc, eo.
38 ¶Diſpenſari † tamen cum illis poterit, iuxta c. fi. eo. per diœce-
ſanum epiſcopum pœnitẽtia ſolemni impoſita, & rebus promiſ-
ſis ſeu datis in vtilitatem monaſterii adiudicatis, c. 1. de ſimo. in ex-
tra. commu. Ita enim placuit, vt per ſimoniam promiſſa vel data
repeti quidem nõ poſſint per dantem, etiamſi is, qui beneficium
promiſerit & accepit, non potuerit ex alia cauſſa ſtare promiſſis,
& beneficium dare: ſed data repetita adiungẽtur eccleſiæ, de qua
ſimonia eſt facta, & cui iniuria hoc modo irrogata eſt, gloſſ. in c. de
hoc, in verb. reſtituat, & ibi Panor. in fin. nota. de ſim. Diſputa. & con-
clu. Guid. Pap. q. 581. d. Ayma. in § 1. in ver. pactionibus, de conuento.
approba. per Latera. concil. in concord. probat expreſſe, c. 1. §. fi. de ſim.
in extraua. com. Et ſic iudicatum in ſuprema curia Pariſiorum re-
fert Papus, lib. 3. Rhapſo are. titul. 12. ar. 2. Et qui dedit ob turpem
cauſſam, in pari cauſſa habet potiorem eum, qui poſſidet, l. 2. de
condict. ob turpem cauſ. C. l. 1. & 2. eodem tit. P. l. tranſactio finita, C. de
tranſact. ſed ab eo qui poſſidet turpe hoc lucrum, tanquam ab in-
digno euincitur.
39 ¶De † renuntiatione quoque ſimoniaca traditum eſt, vaca-
tionem fieri, nec prouiſum hoc modo beneficium retineri poſſe,
c. ordinationes, 1. q. 1. Matthæus & Fel. in c. de ſimoniacis, & c. inuſita-
tum, de ſimon. Et placuit Rotæ reſignationem factam ſimoniace,
non tenere in præiudicium etiam reſignantis, Rota in deciſ. 236.
in antiq. tit. de reſign. Innoc. in c. cũ vniuerſorum, de rer. perm. glo in c.
ſuper eo, de renunt. Archid. in c. dudum, de præb. in 6. Et nullam et-
iam eſſe collationem per ſimoniam factam, iam concluſum eſt,
deciſ. Cap. Thol. 438. per d. c. cum vniuerſorum, & Archi. in c. ordina-
40 tiones, 1. q. 1. ¶Et † idcirco & hic remedium quærendum eſt poſſeſ-
ſori, vt gratiam a ſummo pontifice impetret, deponendo benefi-
cium, & iterum aſſequendo, tota 1. q. 5. narrando ſimoniam ſum-
mo pontif. cum clauſula, perinde valere, & adiecto delegato cui
committatur abſolutio a labe ſimoniæ & excommunicationis,
iuxta formam quam Rebuffus recenſet, 1. par. prax. benef. ti. quom.
benef. acq.
41 ¶Obſeruandum † autem eſt, poſſeſſores beneficiorum ade-
ptorum per ſimoniam, qui tamen non commiſerint ſimoniam,
ab epiſcopis diœceſanis poſſe abſolui, & gratiam obtinere bene-
ficii, c. præſentium, 1. q. 5. c. ex inſinuatione, & c. de ſimoniacis, & ibi gl.
de ſimon. At cum iis, qui ſimoniam commiſerunt, a ſolo pontifice
maximo gratiam fieri, c. nobis, & c. pen. de ſim. plene in c. poſt transla-
tionem, de renun. Simili modo, cũ in omni permutatione, & con-
cordia ſeu conuentione de beneficio ſit ſimonia quædam, c. cum
pridem, de pact. Pan. in c. cum vniuerſorum, 7. not. de rer. permut. epi-
ſcopus non poterit probare eam, ſed tantum ſummus pontifex,
vel legatus eius, qui hanc acceperit poteſtatem, c. fi. c. cum pridem,
42 de pact. ¶Conſulunt † itaque probe Doctores, ne paciſcentes cir-
ca beneficiorum permutationem, concordiam abſolute conclu-
dant, niſi ea lege, ſi approbetur, & quatenus approbabitur a ſupe-
riore, c. quæſitum, & d. c. cum vniuerſorum, de rer. permut. id eſt, vt
fiat ſub beneplacito ſedis apoſtolicæ, vel eius legati. Nec tamen
prohibent iura permutantibus promittere ſe curaturos, vt per-
mutatio fiat ab iis, a quibus recipienda eſt, arg. l. in illa, in 2. de ver-
bor. oblig. nam verba illa accipienda erunt ex eo quod communi-
ter fit, arg. c. ex literis, de ſponſal. & cum auctoritate eius, quem in-
teruenire oportet. Et ſic Boerius decidit, deciſ. 205. per ca. olim, de
reſtit. ſpoliat. clem. vnic. in verbo, volentibus, eod. titu. C. & Rebuffus
probat in 3. par. prax. benef. tit. de permut. nu 47. 52. 53. ¶Quamob-
rem † quidam colligunt, in curia Romana ſimoniam locum non 43
habere, aut pœnam eius: quemadmodum nec in curia principis
lex Iulia ambitus. Quod tamen cum diſtinctione intelligendum
eſt ex Panormitano in c. 1. nu. 5. & 6. de ſim. & communi interpre-
te, gl. in c. ex parte, in 1. in ver. dimittere, de off. deleg. Nam quædam
ſimoniaca ſunt, quia vt talia prohibita iure poſitiuo ſunt: & hæc
accedente voluntate contraria vel gratia ſummi pontificis, ſimo-
niaca in curia Romana non ſunt. Eo quod eius eſt legem inter-
pretari, vel mutare, cuius eſt condere, l. 1. & fi. C. de leg. l. princeps, eo.
Et ſummus pontifex plenam habet poteſtatem ſuper beneficia,
& alia quæ ſunt iuris poſitiui, c. propoſuit, de conceſſ. præb. Tractat &
ſubtiliter idem Panormitanus in caſibus, in quibus ſummus põ-
tifex de ſimonia diſpenſare poteſt: & ipſe non dicitur ſimoniam
committere, qui ſuis vel prædeceſſorum conſtitutionibus non
ligatur: tamen eum qui Papæ tradit ea de cauſſa, ſimoniam com-
mittere, vt non poſſit agere pœnitentiam retento beneficio, ca.
inquiſitionis, de accuſat. Ceterum alia ſunt prohibita, quia per ſe
ſimoniaca ſunt. Et hæc ſi ſummus pontifex etiam committat, vel
alius ex eius curia, incidunt in ſimoniam. Et idcirco Panormita-
nus exiſtimat in d. c. 1. num. 6. & 7. de ſim. & in c. exſtirpandæ, §. quia
vero, de præb. Papam accipientem pecuniam pro conceſſione be-
neficii, in quo ineſt ordinis exſecutio, vt poteſtas ligandi & abſol-
uendi parochianos, ſimoniam committere, quia eſt poteſtas ſpi-
ritualis, gl. fin. in c. licet, de pœn. tex. & gloſſ. in c. ex diligenti, de ſim. c.
altare, 1. q. 3. vt ſi epiſcopatum accepta pecunia conferat, in quo
ordo eſt, c. reperiuntur, 1. quæſt. 1. ¶Quocirca † in Gallia merito vi- 44
dentur ſublatæ conſtitutiones curiæ aut cancellariæ Romanæ,
quæ burſales dicuntur, & annatæ, ſeu taxationes beneficiorum,
quas non ſoluunt Galli, nec tenentur in impetratione exprimere
verum valorem beneficii, etſi de his quædam compoſitiones ſol-
uantur. ¶Notat † & inſuper Rebuffus ad rub. de annatis, & de col- 45
latio. in concord. arg. c. 1. de treug. & pac. iuncta glo. & Rebuff. in tract.
nominatio. num. 292. ob hanc rationem non obſeruari concorda-
ta in Gallia, niſi in quantum conſtituunt in fauorem & commo-
dum eccleſiæ Gallicanæ. Et proinde non fuiſſe expreſſionis valo-
ris beneficiorum regulam receptam in Gallia, licet fuerit ſtatu-
tum in concordatis & rubri. de mandatis apoſtolicis in fine, quod
verus valor exprimatur: alioquin gratiæ ſint ipſo iure nullæ. ¶Alia
† pœna eius qui viuentis per ſimoniam obtinuit beneficium, & 46
ratione illius collationis ſimoniace ſe beneficio intruſit, & eiecit
poſſeſſorem, vt deponatur, c. 2. de ſim. & ibi Panor. & in c. inquiſi-
tionis, nu. 7. de accuſation. Deiicitur & gradu ſimoniace ordinans,
& ordinatus, can. ſi quis epiſcopus, c. qui per pecuniam, ca. ſanctorum
patrum, 1. q. 1. ¶Item † ſimoniaci ſimoniace etiam a non ſimonia- 47
cis ordinati gradu deiiciuntur quoque, nec cum illis diſpenſatur,
c. cito, 1. q. 1. Sed hæc hactenus de ſimonia.

## De Sacrilegis. Cap. 14.

Lib. 48. P. tit. 13. Lib. 9. C. tit. 29.

1 *Sacrum in ſacrilegio perpendendum. Et ſacrum proprie quid, & quomodo fiebat, & fiat nunc.*
2 *Vota priuatorum non ſacra.*
3 *Sacrum latiori appellatione idem quod ſanctum. Quod tamen proprie diſtinctum.*
4 *Sanctæ res quæ.*
5 *Religioſæ res quæ, quidve religioſum.*
6 *Sacræ res generaliſſima appellatione quæ dicantur.*
*Sacrilegii inſtar quæ. Et ſpecies, eod. & 7.*
7 *Sacra publica & priuata.*
8 *Sacrilegi qui proprie.*

QVia † an ſit ſacrum, quod in ſacrilegii crimen incidat, conſi- 1
derandum eſſe monet Paulus Iuriſconſultus, l. ſacrilegi, 9. ad
leg. Iul. pecul. P. in pœna imponenda: vtque dilucidius appareat
quid ſit ſacrilegium, prius quid ſacrum explicandum eſt. Proprie
itaque ſacrum dicitur, Deo conſecratum, ſecundum Feſtum, lib.
17. Et ſacræ res, quæ rite per pontifices Deo dedicatæ ſunt, § ſacræ
res, de rer. diuiſ. Res ſacræ olim publice fiebant, id eſt, publica au-
ctoritate & iuſſu populi, vt lex Papyria vetabat iniuſſu plebis con-
ſecrari, Cicer. pro domo ſua, olim a conſule, dictatore, imperatore,
aut alio ſummo magiſtratu, per ſolemnia verba, præeunteq; car-
men ſum. pontif. l. ſacra. 9. & l. in tantum, 6. §. ſacræ. 2. de rer. diuiſ.
lib. 1. P. tit. 8. hodie vero, d. § ſacræ. eod. apud Iuſtin. eod. titu. de eccleſ.
tit. vt nullus fabric. orat. dom. & c. coll. 5. tit. 17. in Authen. & c. aqua,

*de conſecrat. eccleſ. apud Gregor.* in republica Chriſtiana, ab antiſti-
2 te cuiuſque loci, diuino numini dedicantur. ¶ Vota † autem pri-
uatorum ſacra non ſunt, *l. 2. de pollicit. lib. 50. P. tit. 12.* ¶ Trebatius
3 † *lib. 1. de religio.* apud Macrobium *lib. 3. Saturn. c. 3.* latius finit, ſa-
crum eſſe, quicquid eſt, quod Deorum, vt ait, habetur. Hinc con-
trarium profanum, quod extra fanaticam cauſſam ſit: quaſi porro
a fano & religione ſecretum. Sic & ſacra priuata quis dicere pote-
rit ædiculas ſacras, & ea quæ priuatim Deo quis offert, *vt in l. ſa-
crilegi, 9. ad leg. Iul. pecul. in P.* Latius interdum ſacrum dicitur, i-
dem quod ſanctum, vt ait Trebatius, *Macrob. loco ſuprad.* lib. 10.
Religionum, vt ſanctum contineat, & ſacrum, & religioſum. Sic
& in interdicto, Ne quid in loco ſacro fiat, continentur portæ &
muri, quæ ſancta, *l. 2. ne quid in loc. ſacr. P.* Ceterum proprie ſan-
ctum eſt, quod nec ſacrum nec religioſum eſt: hæc enim inter ſe
4 diſtinguuntur ab Vlpiano, *l. 1. de rerum diuiſ.* ¶ Atque † ſanctæ res
ſunt, quæ ab iniuria hominũ, ſanctione ſeu lege aliqua tuta ſunt,
*l. ſanctum, 8. de rerum diuiſ. & l. ſacra, 9. §. proprie ex loco ſancto, eod.*
A ſagminibus, ſeu hierabotane ſeu herba ſacra verbenaca, quam
diſſecabat ex loco ſancto, & ſecum deferebat fæcialis auctoritate
regis, conſulis, vel prætoris in hoſtes legationis cauſſa profectu-
rus, *d. l. ſanctum, & ibi Bude. & Liu. meminit, lib. 1. dum de fæciali,
ad populum Albanum mittendo agit. Et lib.* 10 *belli Punici, lib. 22. c.
2. & lib. 25. c. 9.* vnde fiebat inuiolabilis, non ſecus quam apud Græ-
cos legatus per caduceum, & apud Gallos legatus fæcialis per pa-
ludamentum, quod vocant *Cotte d'armes*, quo ſacroſancti & in-
uiolabiles ſunt. Quare & legum auctoritas firma, ſanctio dicitur,
*l. ſanctio legum, 41. de pœn.* Muri ciuitatis ſancti, & portæ ſanctæ, *l.
ſacra. 9. §. proprie, de rerum diuiſ. l. 1. eod.* Plato tamen, ſanctum ex-
plicat eſſe, quod ad Dei curam pertinet, *Plato in Euthiphrone ſeu de
ſanctitate*, Annius Viterbienſis *in commentar. ad 2. lib. Beroſi, & in
ſummo. de diuiſ. Italiæ, dum agit de Apennino*, idem cenſet, & vo-
cem ſanctum, a ſangui: hanc autem a ſaga deriuatam. Sagam au-
tem interpretatur Feſtus, ſacerdotem, expiatorem: & D. Hiero-
nymus, ſacrificulum, immolatorem, *D. Hieron. lib. de interpretat.*
5 *Hebraicis.* ¶ Religioſa † ſunt, quæ priuata alicuius voluntate & fa-
cto religioni dicantur: vt ſepulcra, mortuum inferendo, quia tunc
quis locum ſuum religioſum facit, *l. in tantum, §. religioſum, de re-
rum diuiſ. §. religioſæ, eodem tit. apud Iuſtinia.* Religionem tradidit
Sulpitius dictam, quæ propter ſanctitatem aliquam remota ac
ſepoſita a nobis ſit, & quaſi a relinquendo dictam: vt a carendo,
cæremonia, *Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 3. & Gell. lib. 4. c. 9.* Nigi-
dius Figulus, *Aul. Gell. eod.* religioſum eum appellabat, qui nimia
& ſuperſtitioſa religione ſeſe alligauerat: vt verba reliqua in oſus
inclinata ſignificare copiam immodicam rei dictæ putabat: ſicut
mulieroſus, nummoſus, vinoſus, & religioſus. *Religentem*, inquit,
*eſſe oportet, religioſum* inquit, *nefas.* Hinc religioſos dies, triſtes, o-
mine infames, in quibus quempiam rem non erat aliquibus ex-
ordiri. Hæc tamen ſententia a probe inſpicientibus, & conſide-
rãtibus reiecta eſt: & religioſum ſacrum & Deo placitum dictum
eſt: vt & Cicero religioſa delubra, non ominoſa dicit, vel triſtia,
ſed maieſtatis venerationisve plena, *idem vbi ſupra.* Sic apud nos
religioſi, & religioſæ domus, ſanctitate quadam conſecratæ, re-
motę a vulgo, & templa. Neque faceſſunt reliqua nomina in oſus
citata. Nam illorum regula in his tantum obtinet, in quibus co-
pia vitio datur, quæ in religioſa Dei obſeruatione, citra ſuperſti-
tionem, nimia eſſe non poteſt. Quia nec quod oportet, etſi cun-
cta quæ poſſumus præſtiterimus cultui Dei, fecimus: ſed ſerui in-
utiles ſumus, *Luca* 12. Neque placet illorum interpretatio, qui a-
liquando verbum religionis, adhuc pro triſti & male ominato
interpretantur, vt apud Suetonium *in Octau. c. 6.* in Auguſto, *Huc
introire, niſi neceſſario & caſte, religio eſt.* Et apud Plinium, *lib.* 28.
*Næuos in facie tondere, religioſum habent etiam nunc multi.* Et ali-
bi. Nam in his & ſimilibus locis, religio & religioſum, ſignificant
non infauſtum, ſed prohibitum ob religionis obſeruantiam, quæ
pœnam comminatur propter violatam religionem: qua forſan
ratione, nempe indictam pœnam, poſſet religioſum dici omino-
6 ſum & metuendum, per conſequentiam tamen. ¶ Nos † adhuc
generalius, vt omnia quæ ſancta, & religioſa, & proprie ſacra ſunt
complectamur, dicemus ſacrum id dici poſſe, quod aliquomodo
ad cultum, & auctoritatem & prouidẽtiam Dei pertinet. Quam-
obrem Imperatores, Reges, qui poteſtatem a Deo habent, *ad
Roman. 13. Sapien. 6. l. inter claras. de ſum. trinitat.* & auctoritatem,
quive more Chriſtiano conſecrantur, *c. vnic. §. 1. de ſacr. vnctio.* &
obſequio dicantur, miniſtrique eius ſunt, dicemus ſacros, *vt alibi
late docemus*, & quæ eorum ſunt, vel ab iis fiunt, vel procedunt,
quoque ſacra & ſacrata, vt ſacri affatus, *l. ſacri. C. de diuer. reſcript.*
ſacratiſſimæ leges, *l. leges ſacratiſſimæ. C. de legib.* quia leges oracula
Dei ſunt per ora principum promulgata, *ca. Imperatores, 11. q. 3. c.
nemo, 16. q. 3. l. 2. de legib. in P.* ſacratiſſimæ literæ, *§. ſi. de alien. & em-
phyt. in Authen.* ſacrum oraculum, *§. penult. de adoption.* ſacræ do-
mus, ſacrum palatium, tit. de priuileg. eorum qui in ſacro pal. mi-
lit. libro 12. C. tit. 28. Et lib. 1. C. tit. 37. ſacra largitio, *l. vnic. de offic.
comit. ſacra. largi. lib. 1. C. tit.* 35. ſacra adnotatio, *l. vnic. publ. lat. &c.
lib. 12. C. tit.* 64. Sacer cognitor, *l. 3. vbi ſenat. vel clar.* ſacrum patri-
monium, tit. de offic. com. ſac. patrimo. lib. 1. C. tit. 39. Et impera-
tor ſacros ſuos vocat vultus, quia & ſacros ſibi vſurpat affatus, *l. ſi.
de crim. ſacr. lib. 9. C. tit. 29.* Atque, *Sacrilegii inſtar dicitur, diſputa-
re de principali iudicio, & dubitare, l. 2. eod. cap. ſi quis ſuadente, §. pro-
ximo, 17. q. 4. an is dignus ſit, quem princeps elegerit.* Et alibi *l. ſacrile-
gii, 5. de diuer. reſcr. C. Sacrilegii inſtar eſt ſuper quibuſcunque ad-
miniſtrationibus vel dignitatibus promulgandis, diuinis*, id eſt prin-
cipis, *obuiare beneficiis.* Item ſacrilegium præcepta principum ne-
gligere vel violare, *l. 1. vt dign. ordo ſeru. C. l. 13. de erogat. milit. anno.
C.* Et ita quia poteſtas a Deo in filios conceſſa eſt, & illa nomine
ſacrorum dicitur, *l. fin. C. de inoffic. teſta. l. fin. de curat. fur. lib. 5. C. l. 1.
§. fin. de ann. excep. lib. 7. tit. 40. C. l. fi. C. ad ſenatuſconſ. Tertull.* Sacra
paterna hinc. Inde plures ſpecies ſacrilegii, ſeu quaſi ſacrilegii col-
liguntur, quas enumerat & probat Lucas de Penna, *dict. l. 1. vt dig.
ord. ſer. Cod.* ¶ Ex † quibus omnibus illud colligi poteſt, eſſe quæ- 7
dam ſacra publica, quædam priuata. Publica illa, quæ publice vel
auctoritate publica Deo dicata ſunt. Priuata, quæ priuatim: vt
quædam religioſa. Qui horum aliqua violant, vel contrectando
impie, vel negligendo, vel male de his iudicando, ſacrilegi gene-
raliter dicuntur: vnde & ſacrilegi, mandatorum principum viola-
tores, & qui negligunt, *l. 1. de crimin. ſacri. C. l. 1. vt dign. ord. ſer. & l.
lege repetita, 13. de erog. milit. an. C.* Et Gratianus, Theodoſius, &
Valentinian. CCC. *l. qui diuinæ, 25. de epiſc. & cler. lib. 16. C. Theod.
tit. 2. l. 1. de crim. ſacrileg. lib. 9. C. c. ſi quis ſuadente, §. qui autem, 17. q.
4. Qui diuinæ legis ſanctitatem, aut neſciendo confundunt, aut ne-
gligendo violant & offendunt, ſacrilegium committunt.* ¶ Porro † a 8
ſacris fures eorum vel violatores proprie, ſacrilegi dicti: alii quaſi
ſacrilegi. Paulus *in l. ſacrilegi, 9. §. 7. ad leg. Iul. pecul. libr. 48. P. tit. 13.
§. Item lex Iulia peculatus, de publ. iud.* ſacrilegos eos dicit, qui pu-
blica ſacra compilarunt: nam qui priuata ſacra, vel ædiculas incu-
ſtoditas tẽtauerint, amplius quam fures, & minus quam ſacrilegi
merẽtur. *Qui rapit*, inquit Anacletus, *c. qui rapit, 17. q. 4. pecuniam
proximi ſui, iniquitatem operatur: qui autem pecunias aut res eccleſiæ
abſtulerit, ſacrilegium facit.* Ioannes PP. 8. *ca. quiſquis, & ca. ſi quis
contumax, & tota ca. q. 4.* ſacrilegium putat, effringere templa vel
monaſteria, vel ædes Deo dedicatas, vel domos intra 30. paſſus
iuxta eccleſiam: non autẽ iuxta ſacella alia exſiſtentes, vel ſi quip-
piam inde quis abſtulerit. Et generaliter ſubripere ſeu auferre ſa-
crum de ſacro, aut non ſacrum de ſacro, vel ſacrum de non ſacro,
& inferre iniuriam eccleſiaſticis perſonis. Miror tamen cur Mar-
tianus exiſtimet, ex Seueri & Antonini reſcripto, *l. diui. 5. ad l. Iul.
pecul. P.* pro rebus priuatorum, ſi in ædem ſacram depoſitæ ſub-
reptæ fuerint, furti actionem non ſacrilegii eſſe: cum locus ſacer,
ſacrilegium fieri oſtendat rei non ſacrę, vt ait Claudianus, *l. aut fa-
cta, 16. § locus, de pœ. lib. 48. P. tit. 19.* niſi intelligamus pro repetitio-
ne rei, priuato, cuius res erat depoſita, dari actionem furti in fu-
rem: & ſacrilegii, pro vindicta publica, pœnam imponendam. Sic
intelligo Antonium Cæſarem dicentem, *l. ſi nondum, 3. de fur. lib.
6. C. tit. 2.* pro re ſubtracta nõdum templo dedicata, dari actionem
furti. Neque placet interpretatio gloſſæ *in l. 5. ad l. Iul. pecul. in P.*
quæ aliter iure ciuili, quam põtificio in hac ſpecie receptum pu-
tat: ſiquidem & iure ciuili arbitror committi quoq; ſacrilegium
in rebus depoſitis in ædem ſacram. Auctorẽ mihi habere videor
Ciceronem *2. de legib.* qui ſic ſcriptum reliquit, *Sacrilego pœna eſt,
neque ei ſoli, qui e ſacro abſtulerit, ſed etiam ei qui ſacro commenda-
tum, quod & nunc multis fit infamis. Alexander in Cilicia depoſuiſſe
apud Solem, in delubro, pecuniam dicitur: & Athenienſis Cliſthenes
Iunoni Samiæ, ciuis egregius, cum rebus timeret ſuis, filiarum dotes
reddidit.* Accedunt verba 12. tabul. hæc, *Cic. 2. de legib. Sacrum ſa-
crove commendatum qui clepſerit rapſeritque, parricida eſto.* Sacri-
legium quoq; vt putat Phalaris, Deo deſtinatum, & vt conſecre-
tur miſſum, intercipere. Sic. n. de Meſſeniis, *Phal. epiſt. 66. Meſſen.
ſcripta*, qui pecuniã, quã ad ſuum quendam Deũ mittebat, inter-
cepiſsẽt, ſcribit, τί γὰρ διαφέρει τὰ καθωσιωμένα περισπάσαντας ἀπενέγκειν,
ἢ τὰ καλαπνασμένα τοῖς θεοῖς, ἐκείνων γὰρ ἀμφότερα ἦν. i. *quid intereſt cõſe-
crata auferre, vel deſtinata Deo, vtrũq; n. eius erat.* Sũt & alię plures
ſpecies

ſpecies quaſi ſacrilegii, de quibus videndæ gl. in c. felicis, in verbo
ſacrilegii, de pœn. in 6. Et in c. ſi quis ſuadente diabolo, cum 2. ſeq.
17. q. 4. Accurſ. in l. 9. ad leg. Iul. pecul. in P.

## De pœnis veri ſacrilegii. Cap. 15.

1 *Sacrilegii crimen graue, & maieſtatis diuinæ eſt.*
2 *Sacrilegiis quæ, & quomodo iure ciuili pœna impoſita eſt, & quæ iure pontificio, & 3.*
*Peculatus crimen, & pœna in ſacrilegio. eod.*
4 *Sacrilegorum & pœnarum eorundem leges gentilium & iudicia.*
5 *Sepultura priuantur ſacrilegi. & 11.*
6 *Sacrilegi ſuſpenſi, demerſi, indulgentia indigni, excœcati. 7. 8. & 12.*
9 *Pro ſacrilegio lapides templi in ædificia etiam monumentorum transferre.*
10 *Puer de ſacrilegio morte damnatus.*
13 *Templa etiam hoſtium ſpoliare prohibitum.*
14 *Sacrilegii pœna quando non eſt arbitraria.*
15 *Sacrilegii acrior pœna, non tam ratione rei, quam audaciæ.*

1 NEc vincet ratio hoc, inquit Horatius 1. *Serm. tantundem vt peccet, idemque,*

*Qui teneros caules alieni fregerit horti,*
*Et qui nocturnus diuum ſacra legerit.*

Quamobrem nec tam remiſſa in crimine ſacrilegii pœna conſti-
tuitur, ac in aliis. Nam crimen hoc diuinæ maieſtatis recte dici
poteſt, quod quis ſurripiendo vel contrectando res Deo oblatas,
vel Deo commendatas, numen contemnere, eique iniuriam in-
2 ferre nitatur. ¶ Paulus Iuriſconſul. *l. ſacrilegii. 9. ad l. Iul. pec. lib. 48.*
*P. tit. 13. Sacrilegi*, inquit, *capite puniuntur, qui publica ſacra compi-*
*lauerint, at qui priuata ſacra, aut ædiculas incuſtoditas tentaue-*
*rint, amplius quam fures, minus quam ſacrilegi merentur.* Vl-
pianus *l. ſacrilegii. 6. eo.* ſacrilegii pœnam monet ſtatui debere pro
qualitate perſonæ, proque rei conditione, & temporis, & ætatis
& ſexus, vel ſeuerius, vel clementius. Et ſtatim profert varias olim
indictas pœnas, alioſque ſacrilegos ad beſtias damnatos, alios vi-
uos exuſtos, alios furca ſuſpenſos. Cenſetque damnandos ad be-
ſtias, qui manu facta, id eſt, cum cœtu hominum templa effrege-
runt, & dona Dei noctu abſtulerunt: ſi interdiu quid inde tule-
rint, pro perſonarum conſideratione, vel in inſulam deportan-
dos, vel pœna metalli coercendos. Quare Martianus *l. 4. §. man-*
*datis, eod.* definitam pœnam non refert, ſed mandatis principum
contineri, vt ſacrilegi extra ordinem digna pœna puniantur. Po-
teſt & imponi legis Iuliæ peculatus pœna ſacrilegis, quæ eſt, *l. 3.*
*eod.* aquæ & ignis interdictio, in cuius locum ſucceſſit hodie de-
portatio: incidunt namque in crimen peculatus. Quia lege Iulia
de eo cauetur, *l. 1. eo. §. item lex Iulia peculatus, de publ. iud. lib. 4. In-*
*ſtit. iur. ciuil. tit. fin. can. quid ergo. 23. q. 4.* Ne quis ex pecunia ſacra,
religioſa, publicave auferat: neve intercipiat, neve in rem ſuã ver-
tat: neve faciat quo quis auferat, intercipiat, in rem ſuam ver-
tat, niſi cui vtique lege licebit. Ius publicum in ſacris verſatur, &
ſacerdotibus, *l. 1. §. ius publicum, de iuſtit. & iur. in P. c. ius publicum,*
*1. diſtinct.* & priuilegia reipublicæ communicantur eccleſiis, *c. fin.*
*de ſacroſanct. eccle. C.* Vt non mirum ſit, ſi peculatus crimen, quod
eſt de pecuniis reipublicæ ſubſtractis eiuſque pœna, ad res ſacras
quoque pertineat. Ego ſemper in ea fui opinione, ſacrilegos qui
impia & deteſtanda manu ſacram euchariſtiam cõtrectauerunt,
vt κιβώτιον ſeu arculam qua contineretur, tollerent: igne viuos
3 comburendos, ob ſacrilegium & impietatem. ¶ Iure † pontificio
ſacrilegus proditori Iudæ ſimilis dicitur, vt & eandem pœnam
mereatur, *c. quid ergo, 23. q. 4.* & fornicatio peior, quod maius pec-
catum in Deum, quam in homines peccare, *ca. ſicut qui eccleſiam,*
17. *q.* 4. Infames ſunt, *c. infames, 6. q. 1.* Et ex decreto Ioannis PP. 18.
*c. quiſquis, 17. q. 4. Reus ſacrilegii epiſcopis vel abbatibus ſiue perſonis,*
*ad quos querimonia ſacrilegii iuſte pertinuerit, triginta libras exa-*
*minati argenti puriſſimi componat. Qui aliquid ab eccleſia ſine li-*
*centia illius, cui commiſſa eſt amouerit, donec in conuentu admoni-*
*tus legitime ſatisfaciat, ſciat ſe communione priuatum. Si quis mo-*
*naſteria & loca Deo dicata infringat, & inibi depoſita, vel alia quæ-*
*libet inde extraxerit, damnum nouies componat, & emunitatem tri-*
*pliciter, & velut ſacrilegus canonicæ ſententiæ ſubigatur.* Vrbanus
quoque, *can. attendendum, ea. q.* triplicem irrogat pœnam, perpe-
tuam infamiam, carcerem, vel exſilium perpetuum. Symmachus,
*c. indigne, 12. quæſtione 2.* anathemate iubet feriri ſacrilegum res
eccleſiarum retinentem. Idipſum Gregorius, nonus ſtatuit, *c. con-*
*queſtus. c. 16. de foro compet. lib. 2. Decretal. tit. 2.* In concilio Tribu-
rienſi duplex pœna pecuniaria, ad eos pertinens, in quos ſacrile-
gium commiſſum, & excommunicatio, *ca. ſi quis contumax, 17.*
*quæſtione 4.* In canonibus apoſtolicis, *can. 71.* εἴ τις κληρικὸς, ἢ λαϊ-
κὸς ἀπὸ τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ἀφέλοιτο κηρὸν ἢ ἔλαιον, ἀφοριζέσθω, id eſt, *Si*
*quis clericus aut laicus ceram aut oleum ex ſacra ſubripiat eccleſia,*
*a communione ſeiungitor.* Poſſunt itaque rerum ſacrarum inuaſo-
res ſub vtroque iudice tam eccleſiaſtico, quam ſeculari conueni-
ri & damnari, *Lucius 3. in ca. cum ſit generale, ca. 8. de foro competen.*
*lib. 2. Decretal. tit. 2. l. ſi quis in hoc genus. C. de epiſc. & cler.* Partici-
pes iſtius ſceleris & adminiſtri, ſunt etiam pœna capitali digni:
quemadmodum Martianus *l. hac lege, 11. §. 1. ad legem Iuliam pecul.*
*in P.* refert Seuerum & Antoninum in inſulam deportaſſe quen-
dam clariſſimum iuuenem conuictum, quod inuentus eſſet ar-
culam deponere in templo, ibique hominem includere, qui poſt
clauſum templum de arca exiret, & de templo multa ſubtrahe-
ret, & ſe iterum in arculam referret. Ceterum & in hoc crimine
habetur ratio rei ſubtractæ, num ſit ſacra euchariſtia, vel ſacra-
menta alia, an res aliæ. Item temporis, ætatis, ſexus, & aliorum,
quæ in criminibus puniendis diſcutiuntur, *l. aut facta, §. 1. de pœn.*
*in P.* quæ in hac hypotheſi ſacrilegii proſequitur Nicolaus Boe-
rius *deciſione 254.* ¶ Neque † alienum erit a iudice perpendere ex- 4
empla maiorum in hoc vindicando crimine. Proinde ex priſco-
rum gentilium legibus ſeligam quoque aliquas de ſacrilegis. Et
primum illam adferam Platonis *dialog. 9. de leg. in prin.* in eum,
qui nefaria cupiditate & die tractus, & nocte excitus, inquit, tem-
pla vt furetur petit. (quem non putabat fore vnquam ciuem o-
ptime educatum.) *Qui deprehenſus*, ait lex, *in ſacrilegio fuerit, ſi*
*ſeruus peregrinusve erit, in facie ac manibus calamitate ipſius literis*
*inuſta, verberatus prout iudicibus videbitur nudus extra fines pella-*
*tur: forte enim ſupplicio continentior factus, euadet denique melior.*
*Si vero ciuis quiſpiam aliquid tale in Deum, aut in parentes, aut in*
*patriam perpetrare, & ad maximam iniuriam animum induxiſſe*
*deprehendatur, hunc iudex, quia ex puero bene doctus educatuſque,*
*a maximo ſcelere non abſtinuit, ſanari non poſſe exiſtimet. Pœna huic*
*mors malorum minimum: vituperatus autem, vt exemplo alios iu-*
*uet, extra fines perdatur.* Hæc Plato. ¶ Apud Græcos, *Diod. Sic. lib.* 5
*16. Biblio. in 6. anno Philippi*, omnes, cõmuni lege ſancitũ eſt, vt in-
ſepulti abiicerentur ſacrilegi omnes. ¶ Philippus † Macedonum 6
rex, *idem dict. lib. anno 8. Philip.* in bello ſacro contra Phocenſes
victor, ducem Phocenſium Onomarchum ſuſpendi iuſſit, alios
vt ſacrilegos demergi fecit. ¶ Alexander † magnus, *idem lib. 17. in* 7
*9. anno Alexandri. Et Gemiſthius Pletho, lib. 2. de geſt. Græc. poſt pu-*
*gnam Montineam*, in Olympicis ludis per præconem ſignifica-
ri fecit, omnibus exſulantibus, præter ſacrilegis & homicidis, re-
ditum in patriam ſibi concedi. ¶ Senatus † Romanus, *Liuius lib.* 8
*9. belli 2. Punici, Valer. lib. 1. c. 2.* in ſacrilegum Pleminium legatum
Scipionis, qui theſaurum Proſerpinæ ſpoliauerat, eo conſumto
ante cauſſæ dictionem, teterrimo genere morbi, ſummam du-
plicatam Proſerpinæ reddi iuſſit. ¶ Domitianus, † *Sueton. in Do-* 9
*mitian. c. 8.* cum delatum illi fuiſſet per Diales, quendam ex liber-
tis eius ex lapidibus templo Iouis Capitolini deſtinatis, filio ſuo
monumentum paraſſe, iuſſit monumentum dirui, oſſaque & re-
liquias in mare proiici, & reſtitui lapides. Sed & ex ruinis templo-
rum templa alia ædificari piaculum viſum eſt: iuſſeruntque pa-
tres, vt tegulæ, quæ detecta ęde Iunonis Laciniæ a Q. Fuluio Flac-
co ſummotæ erant, vt equeſtris Fortunæ templum ædificaretur,
referrentur, teſte Liuio, *lib. 2. decad. 5.* & Valerio Maximo, *lib. 1. c.*
2. Lactantio *lib. 1. ca. 8.* ¶ Refert Ælianus hiſtoriam plane notabi- 10
lem, de puero ob ſacrilegium damnato, his verbis, *Ælian. lib. 5.*
*de var. hiſtor. c. 16. Puer cum auream laminam quæ ex Dianæ corona*
*deciderat, ſuſtuliſſet, in iudicium adductus eſt. Iudices igitur cre-*
*pundia, talos, & laminam auream propoſuerunt puero, qui cum ite-*
*rum ad aurum inclinaret, plexus eſt tanquam ſacrilegus, nec ætati*
*veniam dederunt, ſed flagitium & ſcelus vindicarunt.* Meminit
Xenophon *1. ἑλλην.* de lege Athenienſium in ſacrilegos, his ver- 11
bis: τοῦτο δὲ, εἰ βούλεσθε, κατὰ τὸν νόμον κείνατε, ὅς ἐστιν ἐπὶ τοῖς ἱεροσύλοις, καὶ
προδόταις· ἐάν τις ἢ τὴν πόλιν, καὶ τὰ ἱερὰ κλέπτῃ, κατακριθέντα ἐν δικαστη-
ρίῳ ἂν καταγνωσθῇ, μὴ ταφῆναι ἐν τῇ Ἀττικῇ, τὰ δὲ χρήματα αὐτοῦ δημόσια
εἶναι. id eſt, *Hoc autem ſi vultis*, o Athenienſes, *ſecundum legem iudi-*
*cate, quæ in ſacrilegos & proditores lata eſt: ſi quis autem prodiderit,*
*aut rerum ſacrarum furtum commiſerit, vt is iudicio damnatus, ſi*
*ſententia in eum lata fuerit, ne in Attica ſepeliatur, bona vero illius*
*publicentur.* ¶ Alia lex in ſacrilegos apud Conſtantinum Harme- 12
nopulum, *lib. 6. Promt. iur. ca. 5.* in hæc verba, *Qui noctu vel inter-*

*diu ſacrarium ingreſſus, quicquam ex rebus ſacris, quæ in eo ſunt, ex-*
*traxerit, excæcator. qui vero extra ſacrarium, aut ex alio fano quip-*
13 *piam ſurripuerit, fuſtibus cæſus ac tonſus, relegator.* ¶ † Gunctranus,
*Greg. Turon. lib. 8. hiſtor. Franc. c.* 30. rex Pariſiorum & Galliarum,
comitiis habitis cum ducibus & epiſcopis in feſto Symphoriani,
ſub pœna capitali ſanciuit, ne exercitus vel milites ſui etiã in ho-
ſtili victoria, vel itinera peragendo, in eccleſias irruerent vel ſpo-
liarent. Alexander Magnus Clearchum & Sitalcem accuſatos ab
indigenis pariter ab exercitu ipſo, quod templa ſpoliaſſent, vete-
raque monimenta mouiſſent, multaque alia in ſubditos impro-
be atque auare perpetraſſent, iuſſit occidi. Heracon a Suſiis con-
uictus, quod eorum templum diripuiſſet, etiam pœnas dedit, *Ar-*
*ria. lib. 6. de exped. Alexan.* Et Orxines, qui Perſas poſt Phraſaortis
obitum rexerat, accuſatus & conuictus, quod templa & ſepulcra
regia ſpoliaſſet, multoſque Perſarum iniuſte peremiſſet, iuſſu A-
14 lexandri in crucem ſublatus eſt, *idem in dict. lib. in fin.* ¶ Lucas † de
Penna *in l. 1. vt ordo dig. ſeru. lib.* 12. *C. tit.* 8. tradit, in regno pœnam
ſacrilegii eſſe arbitrariam, præterquam ſi eccleſiæ fractæ ſint ma-
nifeſte, violenter, aut nocte ſubtracta ſint inde dona, aut ſacra va-
ſa: nam tunc eſt pœna capitalis. Hanc legem regni Neapolitani eſ-
15 ſe, *tit. de cri. ſacri. multæ ſunt leges in legib. Neapol.* Boerius anno-
tauit *in deciſ. 254. n. 13.* ¶ Iubet † ſeuerius puniendum hoc eſſe cri-
men, non rei ſublatæ valor, ſed quod in furto eo iniuria maior, &
a maiori proficiſcatur iniquitate: nõ habita ratione rei ſubtractæ,
ſed temeritatis & audaciæ. Ita Menalopũ Calliſtratus accuſabat,
quod templi cuſtodes decepiſſet, triaque vaſcula e ſacris minimi
ponderis ſuſtuliſſet. Nam qui ſacra vaſcula parui ponderis ſuſtu-
lit, is quauis in re peccauit, vt auctor Ariſtoteles 1. *Rhetor. ad The-*
*od. ca.* 14.

## Vindictæ diuinæ in ſacrilegos exempla.
### Cap. 16.

1 *Sacrilegorum vindicta ſumitur a Deo. Et plura de eo exempla. num. 2. 3. 4. 5.*
4 *Morbus hereditarius Thelia dictus ob ſacrilegium.*
6 *Peſtis immiſſa exercitui ob ſacrilegium.*
7 *Sacrilega in vindictam diuinam, facta meretrix: alia incendio (vſta.*
8 *Aurum Tholoſanum infelix ſacrilegium. & 12.*
9 *Sacrilego manus diuinitus exſciſſæ.*
10 *Brennus ſacrilegus ſibi manus intulit.*
11 *Artaxerxes Ochus felibus poſt necem expoſitus, vt ſacrilegus.*
13 *Gundericus rex Vandalorum ſacrilegus a dæmone necatus.*
14 *Alphonſus 7. Hiſpaniarum rex a dæmone quoq; raptus.*
15 *Templis hoſtes ethnici nec iniuriam nec rapinam inferebant.*
16 *Sacrilegi a dæmonibus in vltionem cruciati.*
17 *De pœna Dagoberti, Caroli Martelli regum Galliæ. & aliorum rerum eccleſiaſticarum raptorum. nu. 18. 19. 20. & 21.*

1 PHalaris *epiſt. 66. ad Meſſenios*, conqueſtus † de interceptione
pecuniæ, quam ſuo Deo mittebat, minatur Meſſeniis ſacrile-
gis & ſuam & Dei futuram vindictam. ¶ Heſiodus *in Aſpide, ſeu*
2 *ſcuto Herculis, in finalib. verſib.* fingit vltionem diuinam in ſacrile-
gum Ceycem, poſt mortem eius contigiſſe, aitq; illius ſepulcrum
antea omnibus venerabile, obſcurum redditum ab Anauro flu-
mine imbre hyemali exundante. Et addit,

τῶς γάρ μιν Ἀπόλλων
Λητοΐδης ἤνωξ ὅτι ῥα κλειτὰς ἑκατόμβας
ὅστις ἄγοι Πυθοῖδε βίῃ σύλασκε δοκεύων, id eſt,

*Ita enim Apollo*
*Latonæ filius iuſſit, propterea quod inclitas Hecatombas*
*Quicunq; portaret Delphos, eum vi ſpoliabat inſidiatus.*

3 ¶ Meminit † Diodorus Sicul. *lib. 11. Bibliot.* quod Xerxes a Ther-
mopylis diſcedens, parte copiarum in Delphos dimiſſa, manda-
uit, vti incenſo Apollinis adyto, repoſita quæque illic ſpoliarent.
Eos autem, qui ad ſpoliandum vatem miſſi fuerãt, ad Palladis vſq;
prouidæ prouectos, templum repentina quadam atque incredi-
bili nimborum vi, procellaque ventorum irruente obrutos, cre-
berrimis cum tonitru veluti ex æthere illato fulminibus erum-
4 pentibus. ¶ Herodotus † *in 1.* narrat Scytas aliquos retrocedẽtes,
dum eſſent in vrbe Palæſtinæ Aſcalone, fanum Veneris Vraniæ
depeculatos: quamobrem templi ſpoliatoribus, eorumque pro-
5 libus morbum immiſſum Theliam dictum. ¶ Fingunt † antiqui,
*Heſiod. in Theog. Horat.* ob Promethei ſacrilegium, quod furatus
fuerit a Ioue ignem ferula, & eum hominibus communicauerit,
febres, morbos, & malorum omnium cohortes immiſſas homi-
6 nibus. ¶ Narrat † Dictys Cretenſis, *lib. 1. de bello Troian.* & Home.
*Ilia.* 1. peſtem adueniſſe exercitui Græcorum, quia Agamemnon
rex exercitus ab omnibus declaratus, longius paulo ab exercitu
progreſſus, in luco Dianæ capram paſcentem imprudens religio-
nis, quæ in eo loco erat iaculo transfixit: nec potuiſſe leniri priuſ-
quam ſacrilegii pœnæ darentur, & auctor eius ſceleris filiam na-
tu maximam vicariam victimam immolaſſet. ¶ Ferunt † *Parthen.* 7
*in Eroticis, ca. 25. Gemiſthius Plato, lib. 2. de reb. Græc. poſt pugnam*
*Mantin. Diod. Sic. lib. 16. Biblio. in an. 15. Philippi.* vxores duas quo-
rundam Phocenſium principum, quæ duobus monilibus (vno
ab Euriphile, alio ab Helena Apollini Pythio dedicatis) ſe exorna-
uerant præda templi facta, hanc, quæ Helenes monile geſtare au-
ſa fuerat, corpore proſtituto in contumeliam incidiſſe: alteram,
quæ Eriphilis ſumſerat, domo incenſa a filio furore percito, & i-
pſam vna cum domo viuam concrematam. ¶ Quum † oppidum 8
Tholoſanum, *Aul. Gell. lib. 3. c. 9.* Q. Cæpio cõſul diripuiſſet, mul-
tumq; auri in eius oppidi templis fuiſſet, quiſquis ex ea direptio-
ne aurum attigit, miſero cruciabiliq; exitu periit. ¶ Acer † ſui no- 9
minis vindex Apollo, inquit Val. Max. *lib. 1. ca. 2.* qui Carthagine a
Romanis oppreſſa, veſte aurea nudatus, id egit, vt ſacrilegæ ma-
nus inter fragmenta eius abſciſſæ inuenirẽtur. ¶ Refert † & idem 10
*d. loco*, Brennum Gallorum ducem, Delphis Apollinis templum
ingreſſum, in ſe manus vertiſſe. Quod & Iuſtinus ſcribit *lib.* 24.
¶ Ferunt † Artaxerxem qui etiam Ochus cognominatus eſt, poſt 11
ſacrilegia multa commiſſa, a Bagoa eunucho necatum, felibus
proiectum fuiſſe, ſepultum autem in eius locum alium, & regiis
monumentis traditum, Ælian. *lib. 2. de var. hiſt. c.* 8. Scribit Iuſtin. 12
*li. 32. hiſt. Bello a Gallis duce Brenno infeliciter aduerſus Delphos ge-*
*ſto, in quo maiorem vim numinis, quam hoſtium,* inquit, *ſenſerãt, ex*
*illis amiſſo Brenno, quoſdam antiquã patriam repetiiſſe, Tectoſagesq;*
*cum etiam Tholoſam antiquam patriam veniſſent, comprehenſos pe-*
*ſtifera lue, non prius ſanitatem recuperaſſe, quam aruſpicum reſponſis*
*moniti, aurum argentumq; bello ſacrilegiisq; quæſitum, in Tholoſen-*
*ſem lacum mergerent. Quod omne magno poſt tempore Cæpio Roma-*
*nus conſul abſtulit. Fuere auri pondo centum decem millia: argenti,*
*pondo quinquies decies centum millia. Quod ſacrilegium cauſſa ex-*
*cidii Cæpioni, exercituiq; eius poſtea fuit. Romanos quoque Cymbrici*
*belli tumultus, velut vltor ſacræ pecuniæ inſecutus eſt.* Hæc Iuſtinus
ex Trogo. ¶ Gundericus † rex Vandalorum, capta Hiſpali, quæ 13
nunc Senilla vocatur, cum impie elatus, manus in eccleſiam eius
ciuitatis extendiſſet, mox Dei iudicio a dęmone correptus, inter-
iit, *Franc. Tarapha, de regib. Hiſpa. in Honorio.* ¶ Alphonſus † 7. rex 14
Hiſpaniarum eius nominis, etſi bellicoſus, in rebus tamẽ diuinis
negligentior: nam ſæpe equos in eccleſiis, velut in ſtabulis habe-
bat. Ideoque, vt fertur, cum Fragam oppugnaret, anno regni ſui
20. iudicio Dei repente occiſus, nec mortuus nec viuus apparuit,
abſque liberis anno Domini 1126. *idem Tar. in Alphon.* 7. ¶ Fuit an- 15
tiquis † ethnicis fere ſemper veneranda religionis maieſtas, atq;
ideo & a templis, & eorum numinum imaginibus & rebus abſti-
nentiſſimi etiã inter hoſtes: vt Ætoli in templo Iouis Dodonæi,
porticus quidem omnes demoliti ſunt, quæ maximo ſtudio atq;
impenſa adhibita fuerant, deiecerunt, ſuperiora concremarunt,
reliqua mœnia funditus eruerunt, euerterunt ſtatuas numero vl-
tra duo millia, quamplurimas etiam fregerunt: attamen ab iis ab-
ſtinuerunt, quæ vel figuras, vel inſcriptiones Deorum ſuorũ ha-
bebant, *Polyb. in* 5. Alexander Magnus, quamuis ira eius in Theſ-
ſalos incruduiſſet, non tamen vſque adeo indignatio eius proceſ-
ſit, vt quicquam in templum immortalium committeretur: quin
potius omnem curam & ſtudiũ adhibuit, ne qui vel inuiti aliquo
modo fana violarent. Idemq; cum in Aſiam tranſiiſſet, vt Perſas
male meritos de Græcis vlciſceretur, de hominibus quib. dignas
reb. ab iis patratis pœnas ſumſit, a templis vero prorſus abſtinuit:
quanquam Perſæ circa hanc partem maxime in Græcia delique-
rant, *idem d. loco.* ¶ Cum † nonnulli ex militibus regis Theoderi- 16
ci, qui depopulabatur Aruernam vrbem, ad baſilicã ſancti Iuliani
perueniſſent, confregiſſent ianuas, & ſeras remouiſſent, reſque
pauperum, quæ ibi fuerant aggregatæ, diripuiſſent, auctores ſce-
lerum ab ſpiritu immundo correpti ſunt, infeſtiſq; dentibus pro-
priis ſe lacerantes clamabant, Cur nos ſancte martyr ſic crucias,
*Greg. Turo. lib. 3. de geſt. Franc. c.* 11. Idipſum contigit pari de cauſſa
Gunthrani regis Gall. militibus, *idem lib. 7. c. 5.* ¶ Dagobertus Gall.
† rex faſſus eſt, ſe raptum ante thronum diuinę maieſtatis, & a tu- 17
telaribus diuis & martyribus eccleſiarum acerbe accuſatum, de
rebus eccleſiaſticis per rapinam diſtractis, quod cum non auſus
fuiſſet pro conſcientia defendere, fuit a proprio patrono D. Dio-
nyſio defenſus, qui fuſis ad Deũ pro eo precibus, pœnitendi tem-
pus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pus obtinuit. Et proinde vouit & cõſtruxit monaſterium in loco,
qui dicitur de Wiſemburg, &c. vt eſt apud Tritemium *in breuiar.*
18 *hiſt. Franciſ. in 51. rege.* ¶ Idemque † refert, *in fine Breuiarii*, viſam
animam Caroli Martelli regis etiam Gallorum, deportari ad in-
feros, quod multas eccleſias ſpoliaſſet, dum bellis inimicos per-
19 ſequeretur. ¶ Refert † Petrus abbas Cluniacenſis, *lib. 2. de mirac.*
Matiſconenſem comitem quendam qui tyrannice eccleſię bona
occuparat, raptum die ſolemni a dęmone, qui forma equitis cum
equo nigro ingreſſus domum, eum extraxit inuitum, & equum
iuſſit conſcendere, quo ſublatus in aerem, clamans, ſuccurrite ci-
ues, nunquam poſtea comparuit: oſtiumq; quo egreſſus erat, ob-
turatum in rei memoriam. Quod cum Ogerius Guillelmi comi-
tis procurator, ob aliquam reipublicæ neceſſitaté vellet reſerare,
& qui operas locauerat cœpiſſet demoliri, ſtatim eundem iterum
a dęmone correptum, & in aerem eleuatum, poſtea collapſum &
colliſum, manu qua opus demoliri tentauerat confracta. Eoque
miraculo perterritos ciues in perpetuam rei memoriam iuſſiſſe
eum locum occludi, comitiſq; filium Ouidonem nomine, cũ tri-
ginta militibus Clunacum veniſſe, & religionis habitũ ſuſcepiſſe.
Anno Domini 891. cum Northmani oppidum D. Audomari in-
uaſiſſent, & duodecim ex illis templũ D. Bertini ſpoliare conaren
tur, ſubito omnes ad vnum luminibus capti ſunt, vt ſcribit Meye-
rus *lib. 2. ann. Flandriæ.* Scribit Pau. Æmylius *lib. 5. hiſt. Fran. & in
Ludouico iuniore*, Cabillonenſem etiam comitem eccleſiis infe-
ſtum, dum frequenti procerum conuiuio epularetur, ab ignoto
quodam equo pro foribus ſedente, euocatum exiiſſe, coactumq;
e veſtigio conſcendere, e conſpectu procul raptum, nec deinceps
vſpiam apparuiſſe.

## De quibuſdam Sacrilegiis alterius generis.
## Cap. 17.

1 *Indulgentiarum fictitiarum quæſtores, vt ſacrilegi puniuntur.*
2 *Religionis prætextu cœtus illiciti fieri non debent.*
3 *Philippi Imperatoris ſacrilegium vindicatum diuinitus.*
4 *Eccleſiaſtica bona vſurpantes, pauperes fiunt.*

1 FVrtum † quod velamẽto pietatis fit, ad ſacrilegium pertinere
non inepte dicemus, & extra ordinem puniri, vt quæſtores illi
indulgentiarum fuco, quas non habẽt, ex concilio Viennenſi pu-
niuntur, *cle. 2. per totam, de pœ. ap. Cl. & c. cum ex eo, eod. apud Greg.*
2 ¶ Voluit † & Vlp. *in l. 2. de extraor. crim. lib. 47. P. tit.* 11. ſub præte-
xtu religionis, vel ſoluendi voti, cœtus illicitos fieri non debere.
Vereor ne res inter nos tam peſſime ſuccedant, quod velamento
pietatis vel alio fuco, eccleſiaſticæ res a pauperum deſtinato vſu,
eccleſiis eripiuntur: quomodocunque enim hoc excuſetur, vere
3 tamẽ ſacrilegium videtur, & Dei iram prouocat. ¶ Referam † ex-
emplum Philippi Imperatoris, qui ſucceſſit in imperio Henrico
VI. fratri: is enim cum deficerent pecuniæ, quibus præberet ſala-
ria militibus, primus cœpit diſtrahere prædia, quæ Fridericus pa-
ter acquiſierat in Alemania: deinde cuilibet baroni ſeu miniſte-
riali villas ſeu prædia ruſticana, ſeu eccleſias ſibi proximas obliga-
uit. Quamobrem pluribus ideo eccleſiis diuexatis, excommuni-
catus fuit ab Innocentio III. Tandemque ſub gladio tyranni ce-
4 cidit, vt ſcribit Abbas Vrſperg. *in Chronic.* ¶ Experti † ſunt plures
principes in Gallia, & Germania, quantũ poſteris nocuit ex adipe
eccleſiæ, domus paternas & proximorũ ditaſſe. Ad tempus quip-
pe modicum durarunt hæ ſacrilegæ ex abbatiis & epiſcopatibus
compilatæ opes, & cum iſtarũ ruina propriæ quoq; euanuerunt:
& qui iſtis vſi ſunt, vel eorum filii miſere perierunt, vt plerunque.
Quamuis enim ſacrilegi ab hominibus non plectantur, non poſ-
ſunt tamen Dei effugere iudicium, vt proximo capite docuimus.
Sunt hodie tot illuſtrium virorum ſucceſſores pauperrimi, & fe-
re errones & mẽdici, dicam & audacter prædones & latrones ef-
fecti, quod eccleſias ſpoliarunt, & breui tempore cum illis & ſua
amiſerunt, quæ maiores virtute parauerant & reliquerãt. Et male
parta, cum male dilabuntur, bene parta, ſed a male partis polluta,
ſecum communione pertrahunt.

## De pœnis quaſi ſacrilegii. Cap. 18.

1 *Sacrilegus habetur, qui infert iniurias eccleſiæ, aut eius miniſtris. Item occupans prædia eccleſiaſtica. Itẽ qui mandata principum contemnit: & de eorum pœnis. & 2. & 3.*

1 QVi † proruperit in eccleſias catholicas, & ipſis ſacerdotibus,
& ſacri cultus miniſterium præbentibus intulerit iniuriam,
vt ſacrilegus capitali ſupplicio damnatur ab Archadio & Hono-
rio CC. *l. ſi quis in hoc genus*, 10. *de epiſc. & cler. C.* Quorum ſentẽtia
translata inter ſummorum pontificum ſanctiones, *c. in primis §. ſi
quis, 2. q. 1.* Accedit quippe hoc crimen crimini læſæ maieſtatis, *c.
ſi quis ſuadente, 17. q. 4.* ¶ Qui † occupant vel inuadunt prædia di- 2
uinis vſibus deſtinata, vt ſacrilegi quoque excommunicantur, *c.
nulli liceat. c. quicunq;, c. prædia*, 12. *q.* 2. donec reſtituant, & vltra, ex
aliquibus legibus in quadruplum, *c. in antiquis, c. ſi ſeculi*, 12. *q.* 2. ex
aliquibus in decuplum puniuntur, *c. in legib. 12. q. 2.* ¶ Qui † man- 3
data principum non exſequuntur, & crimen hoc admittũt ſacri-
legii, *l. 1. vt or. dig. ſer. lib. 12. C. tit.* 8. Quamobrẽ pœna adiicitur, quæ
diſtinguenda, num negligantur mandata principis, an vero con-
temnantur. Multum enim inter hæc intereſt, *vt not. in c. quis au-
tem*, 10. *diſt. gl. in c. metropolitanum, in ver. ex contemtu, 2. q. 7. Lu. de
Pen. in l. 1. in ver. contemſerit, de priuil. eor. qui in ſac. pal. milit. lib.* 12.
*C. tit.* 29. Quod ſi negligantur, an illa mãdata magni ponderis ſint
& iacturam reipub. inferant, an non: nam illis non ſolum iactura
bonorum, ſed & vltimum ſupplicium imminet, *vt in l. 1 § fina. de
offic. præf. præt. Afr. lib. 1. C. titu.* 30. *l. 3. §. in bello, & l. omne delictum, §.
contumacia, de re mil. P.* iſtis lenior pœna & arbitraria, *l. 1. de theſau.
lib. 10. C. l. ſanctio legum, de pœn. in P. Luc. de Pen. in d. l. 1. vt ord. dig.
ſerue.* ¶ Quod ſi contemnat quis iuſſa principum ſuperbe, incidit
in legem Iuliam maieſtatis, & pœnam experitur vltimi ſupplicii,
*c. abſit*, 11. *q.* 3. Et ſi eccleſiaſticum ſuperiorem contemnit, anathe-
mate feritur. Ceterum ſi quis non contemnat, ſed rationem ha-
beat cur implere noluerit, poteſt ſuſpendere exſecutionẽ, & mo-
nere principem, & exſpectare ſecundam iuſſionem, impuneque
hoc facit, *c. ſi quando, c. 5. de reſcr. ap. Greg. c. cum teneamus, 6. de præ-
ben.* quia pleraq; propter importunitatem petentium, vel incon-
ſiderate, propter negotiorum multitudinem, quibus occupatur
princeps, impetrantur a principe quæ admitti a iudicibus nõ de-
bent, *c. cum in iuuẽtute, 12. §. ceterum, de purg. can. l. 1. de pet. bon. ſub-
la. lib. 10. C. tit. 12. c. importuna. de pœn. diſt.* 1. In quibus autem prin-
cipi obediendum non ſit, vide quæ dixi s̃ lib. 6. c. 10. num. 11.

## De lege Iulia peculatus. Cap. 19.

P. lib. 48. tit. 13. C. lib. 9. tit. 28.

1 *Peculatus crimen accedit ad ſacrilegium, & quid ſit.*
2 *Pecunia publica in alios vſus, quam deſtinata eſt, non debet impendi.*
*Nec ab adminiſtratore reip. mutui ſibi debiti nomine retineri poſſunt. eod.*
3 *Peculatus crimine qui tenentur.*
4 *Peculatus pœna qualis, & quæ imponenda ſit, & 6.*
5 *Heredes iudicio peculatus defuncti conueniri poſſunt.*
7 *Peculatus pœna in Gallia.*
8 *Populus cogit euomere, quæ quæſtores intercipiunt.*
9 *Peculatus crimen poſt quinquennium non obiicitur.*
10 *Peculatus ſocii tenentur, qui miniſterium præbent, eadem pœna.*

SAcrilegii † inſtar eſt & peculatus, pecuniam ſacrã, religioſam, 1
publicam auferre, vel intercipere, vel in rem ſuam conuerte-
re: aut facere quo quis auferat, intercipiat, vel in rem ſuam vertat.
Aut in æs, aurum, argentumve publicum quid indere, immiſce-
reve: aut facere ſcienter dolo malo vt quid indatur, immiſceatur-
ve, *vt ait Vlpia. l. 1. & l. ſacrilegii, 9. §. fin. ad leg. Iul. pecul. P. §. item lex
Iulia peculatus, de publ. iud.* Addendo quippe metallo aliud quod
deterius illud faciat, furtum infertur vtilitati publicæ, *l. lege Cor-
nelia, 9. ad l. Corn. de falſ. in P.* vt in falſa moneta dicemus. Sicuti ii
qui cum monetam publicam operantur, ſibi extrinſecus cuden-
tes, furtum & peculatum admittunt, *l. ſacrilegii, 6. ad leg. Iul. pecul.*
Peculatum Labeo definit, pecuniæ publicæ aut ſacræ furtum, nõ
ab eo factum cuius periculo fuit, *d. l. ſacrilegii, 9. eo.* Ad pecuniam
fiſcalem, & ciuitatis Romanæ ſcilicet hoc crimen pertinere poſ-
ſe Martianus tradit, *l. 4. §. fin. eo.* quia alicubi legamus, propriiſſime
accipi publicum, quod ad ſtatum rei Romanæ tantũ pertinet, *Ca-
ius in l. eum qui vectigal, 16. de verb. ſig. Vlp. l. 1. §. huius ſtudii, de iuſt.
& iur. §. huiuſmodi, eo. ap. Iuſtin.* Nec pro furto pecuniarũ aliarum
ciuitatum datur peculatus iudicium, ſed furti, *l. ob pecuniam, 83. de
furt. P.* quamuis quæ ciuitatis dici poſſint publica aliquando, *l. in-
ter publica, de verb. ſign.* Cicero *Philipp. 12. Seſtertium ſepties millies
auertiſſe Antonium pecunia publica iudicauiſtis: num fraude pote-
rit carere peculatus?* Et rurſus idem *act. 5. in Ver. Vectius frater tui
quæſtoris, impudentiſſimum tuum furtum, certiſſimumq; tuum pe-
culatum: nam quo alio nomine pecuniæ publicæ fœneratio eſt appel-
landa?* ¶ Prohibetur † iure, ne mutui interuentione oppoſita, pe- 2
cuniam publicã quis inuadat, vel conetur inuadere, *l. 1. de iis quæ
ex pub. coll. illata ſunt non vſur. li. 10. C. tit.* 73. quia pecuniæ publicę

ad alias neceſſitates, quam ad eas, ad quas deſtinatæ ſunt, nõ ſunt
3 impendendæ, *l. fin. C. eo. tit.* ¶ Qui † nomine fiſci fiſcales pecunias,
ſimulans ſe fiſci creditorem acceperit, peculatus reus etiam eſt, *l.
ſacrilegii, 9. §. Labeo, ad leg. Iul. pec. P.* Et quia fides ærarii & ratio-
nes ex tabulis pendent vt plurimum, qui tabulam æream, leges
continentem vel formam agrorum, ex qua cenſus præſtandus di-
gnoſcebatur, *l. formula cenſuali, de cenſi. in P.* refixerit vel immu-
tauerit, vel tabulas publicas induxerit, vel deleuerit, eſt reus quo-
que peculatus, *Venul. l. qui tabulam, 8. eod. tit.* quive in tabulis pu-
blicis, minorem pecuniam, quam quid venierit, aut locauerit,
ſcripſerit, aut quid ſimile admiſerit, *l. hac lege, 11. eo.* qui prædam ab
hoſtibus captam ſurripuit, *l. is qui, 13. eo.* qui aurum ex metallo ex-
traxerit illicite, & conflauerit, *l. ſacrilegi, 6. §. fin. eod. tit.* qui perfo-
rauerit muros, ſcilicet vbi pecunia publica eſt, vel inde aliquid
4 abſtulerit, *l. qui perforauerit, 12. eod.* ¶ In † imponenda huic crimi-
ni pœna, iudex animaduertere debet rei cõditionem, qualitatem
perſonæ, tempus, ætatem, & conditionem, & iuxta illa vel mi-
tius, vel ſeuerius punire, *l. 6. ad legem Iul. pecul. Peculatus pœna,* in-
quit Vlpianus, *aquæ & ignis interdictio, in quam hodie ſucceſſit de-
portatio, l. 3. eod. in P.* Hanc capitalem pœnam dixerunt CC. Ho-
norius & Theodoſius, vt ait gl. *in l. vbi de crim. pecul. C.* qua ſubdi
iubent iudices, qui tempore adminiſtrationis publicas pecunias
ſubtraxerunt, *d. l. vn. & §. item lex Iulia, de publ. iud. apud Iuſt.* cum
eorum adminiſtris & conſciis. Veruntamen Iuſtinianus, ab illa
capitali, deportationem in hoc crimine ratione perſonarum diſ-
tinguit, *in §. item lex Iulia pecul. eod.* Val. & eos, qui ab arcariis &
tabulariis, officiisque rationum fœnebrem pecuniam ſumſerunt,
quadrupli pœna damnant, *l. 1. de iis qui ex publ. ration. mut. pecun.
accep. lib. 10. C. titu. 6.* Pœna quippe illa eſt fere iis indita, qui frau-
dem fiſco faciunt, *l. aufertur, 46. §. final. de iure fiſc. lib. 49. P. tit. 14.*
triplum autem pœna tantum, & ſimplum res eſt, *l. vni. pœn. fiſcal.
cred. antef. lib. 10. C. tit. 7.* Pœna hæc vltra criminalem imponitur,
*l. is qui, 14. & l. ſacrilegi, 6. §. fina. ad legem Iul. pecul. P.* Gratianus &
Theod. CC. eos qui aurum ex ærario principis priuatis commo-
dis profuturum acceperint occulte, aut ſponſionis, aut cautionis
fide, ſine eiuſdem principis auctoritate: ablatis bonis omnibus
perpetuæ deportationi ſubdit, & eos qui dederint, capitali ſen-
tentiæ, *l. 2. de iis qui ex publ. ratio. mut. pecun. accep. lib. 10. C.* ¶ Sed &
5 † illud ſingulare, vt contra heredes hoc iudicium exerceatur pe-
6 culatus, *l. fin. ad legem Iul. pecu. in P.* ¶ Iulius † Paulus lib. 5. Recept.
ſentent. *tit. 29. Si quis fiſcalem pecuniam attrectauerit, ſurripuerit,
mutauerit, ſeu in ſuos vſus conuerterit, in quadruplum eius pecuniæ,*
7 *quam ſuſtulit, condemnetur.* ¶ Papo † *lib. 22. Rhapſo. areſt. tit. 2. ar. 1.*
teſtatur, pœna capitali vltimi ſupplicii aliquando animaduerſum
in Gallia in quæſtorem, qui pecunias regias interuertiſſe accuſa-
batur, interdum & exſilio cũ pœna nummaria. Conſtitutio Fran-
ciſci 1. *ſur la reddition des comptes*, eius nominis Galliæ regis primi
exſtat, qua ſtatuitur, crimen peculatus a quacunque perſona fue-
rit admiſſum, confiſcationem corporis & bonorum habere. At-
que ſi is, qui admiſerit, ex nobilibus genitus fuerit maioribus,
eum vltra prædictam pœnam, ignobilem declarandum, eiuſque
ab eo deſcendentes in poſterum, ſiue maſculi ſiue fœminæ ſint.
Certe non poſſet eſſe ſatis grauis pœna in has hirudines, quibus
cum pecuniæ publicæ ſæpe ex lacrymis prouincialium & ſangui-
ne conquiſitæ, commiſſæ ſunt, ad principem exportandæ, vel in
vtilitatem publicam expendendæ, ipſi ſibi retinent, artibus &
fraudibus ſibi conſeruant, & ex multorum pauperum nece oppi-
paras & magnificas comparant opes, idque breui tempore: & eo
liberius, quo impunitas nundinatione redimitur. Sed cauere de-
bent tamen, ne princeps liberatus grauioribus negotiis in illos
oculos conuertat, & rationes repoſcat, & pingues iubeat necari,
8 vt vomãt quæ male digeſſerunt. ¶ Meminerint † ſi ſapiant, quod
apud Ariſtophanem *in equitibus*, de iſtis furibus pecuniæ popu-
licæ loquitur vere populus:

*σκέψασθε δέ μ' εἰ σοφῶς*
*αὐτοὺς περιέρχομαι*
*τοὺς οἰομένους φρονεῖν*
*κἀμ' ἐξαπατύλλειν*
*τηρῶ γὰρ ἑκάστοτ' αὐ-*
*τούς· οὐδὲ δοκῶν ὁρᾶν*
*κλέπτοντας ἔπειτ' ἀναγ-*
*κάζω πάλιν ἐξεμεῖν,*
*ὅσ' ἂν κεκλόφωσί μου*
*κημὸν καταμηλῶν.*

Id eſt,

*Conſiderate autem me, ſi ſapienter*
*Ipſos circumuenio,*
*Hos putantes ſapere*
*Et me decipere.*
*Obſeruo enim ſemper ipſos:*
*Neq; apparens videre*
*Furantes, poſtea cogo*
*Ipſos euomere.*
*Quæcunq; furati mei fuerint.*
*Cadum*, id eſt, ciſtam in quam calculos
Iudices mittebant, *deponens.*

Et paulo ante,

*κλέπτοντά τε βούλομαι*
*τρέφειν ἕνα προστάτην·*
*τοῦτον δ' ὅταν ᾖ πλέως*
*ἄρας ἐπάταξα.*

Id eſt,

*Furantemque volo*
*Nutrire vnum præſtantem,*
*Hunc autem quando fuerit plenum*
*Eleuans percuſſi.*

¶ Placuit † at Venuleio Iuriſconſ. *l. peculatus crimen, 7. ad leg. Iul.* 9
*pecu. in P.* peculatus crimen poſt quinquennium admiſſum obii-
ci non poſſe. ¶ Voluerunt † tamen Cæſares eos, *l. 1. §. 1. de crim. pe-* 10
*cu. C.* qui miniſterium iſtis adhibuerunt, & pecunias acceperunt,
pari pœna plecti.

## De lege Iulia de reſiduis. Cap. 20.

1 *Lex Iulia de reſiduis peculatus inſtar, & quid ab eo differat.*
2 *De reſiduis crimen in quo cõſiſtat. Quis teneatur, & nomine eius condemnentur heredes.*

LEx † Iulia de reſiduis, accedit ad peculatum: verum vt nõ tam 1
graue ſcelus eſt, retinere rem ex iuſta cauſſa & voluntate do-
mini antea poſſeſſam, quam a domino ſtudio furandi extorque-
re. Sic grauius viſum, pecuniam publicam furari vel interuertere
dolo & fraude, quam voluntate publica alicui commiſſam, vt in
alios vſus expenderetur, retineri ab eodẽ pro parte vel omnino.
¶ In † quo conſiſtit crimen de reſiduis, ſcilicet pecuniis non ex- 2
penſis retentis, nec in eum vſum, in quem delegatæ erant, con-
ſumtis, *l. 2. & l. 4. §. ſed & qui, ad legem Iul. pecul.* Tenetur & ea le-
ge is, apud quem ex locatione, emtione, alimentaria ratione, ex
pecunia quam acceperit, aliave ex cauſſa, pecunia publica reſedit,
*l. 4. §. lege Iulia, eod.* Ad debitores autem Reipubl. qui pecuniam
fiſco debitam retinent, non pertinet, *l. Labeo, l. cum eo autem, 10.
ad legem Iul. pecu. P.* Pœna huius criminis eſt amplius tertia parte
quam debeatur, *l. 4. §. ſed & qui, eod.* Quare quia agitur de pecu-
nia, habet iudicium hoc publicum locum & in heredes, *l. final. eo-
dem titu.*

## De ſacrilegio violationis aſylorum, & de aſylis, quæ Galli dicunt *Franchiſes*. Cap. 21.

1 *Aſylorum in violatione quæ conſideranda.*
2 *Aſylorum eccleſiaſticorum violatio ad maieſtatis diuinæ crimen pertinet.*
3 *Aſylum quid. Supplices ad aras vel eccleſias confugientes non violandi.*
4 *Raſio in pœnam.*
*Ab aſylo abſtrahentis vi confugientem, quæ pœna ex vtroque iure, eod. & 9.*
5 *Supplicium confugientium ad eccleſiam apud Anglos lex.*
*Crucis delatio ſupplicibus ſignum ſeruatæ vitæ, eod.*
6 *Templum Iouis ingreſſus vinctus ſoluebatur.*
7 *Templum ingreſſi immunitate gaudebant.*
8 *Aſyli ius quibus tantum templis ethnicorum conceſſum. Et aſylorum abuſus. & 9.*
10 *Aſylum, templum miſericordiæ qui primi conſtituerunt.*
11 *Aſyli loco, ſtatuæ Cæſarum, princeps ipſe, cardinales, ſigna in caſtris, ſacerdos deferens ſacroſanctam Euchariſtiam. Et 12. 13. 14.*
15 *Ciuitates refugii a Moſe ſeparatæ pro aſylo.*
16 *Regum domus pro aſylis.*

IN † crimine violationis aſylorum conſiderabimus res, quibus 1
aſyli ius datur, & quatenus datum, an ſacræ aut profanæ. Item
perſonas, cuius generis ſunt quæ eo confugiunt. Subinde facta
ſeu actiones, ob quas quis ad aſyla cõfugit. ¶ Ad † crimen læſæ ma- 2
ieſtatis

ſeſtatis pertinet, ad ſacroſanctas eccleſias cõfugientes inuitos abducere ex lege Honorii & Theodoſii CC. *l. 2. de iis qui ad eccleſ. confug. lib 1. C. ti. 15.* & ad ſacrilegium quoque. Sic enim etiam ſenſit Ageſilaus. Nam victis Athenienſibus & Bœotiis apud Coroneam per eum, cum quidam eorum in templum Mineruæ confugiſſent, ante tulit iræ religionem, & eos vetuit violari. Item & apud barbaros prædicabatq; mirari ſe, non ſacrilegorum numero haberi, qui ſupplicibus Deorum nocuiſſent, aut non grauioribus pœnis affici, qui religionem minuerent, quam qui fana ſpoliarent, vt ait Æmylius Probus *in Ageſilao*, & Xenophon *in Ageſilao.*

3 ¶ Eſt † enim eccleſia inter aſyla ſanctiora, dicitur namq; ἄσυλον, locus a prædatione immunis, cui periculum nõ eſt ne præda fiat: quem ſpoliare nefas eſt, a violentia tutus & ſacroſanctus. Quamobrem & aſyla templa dicta, vt apud Liuium *libr. 35. Ea religione, & eo iure ſancto, quo ſunt templa quæ aſyla Græci vocant.* Aſylum, ſacros terminos, quibus ſeruis eſſet ſecuritas, dixit Iulius Pollux *lib. 2. Onomaſt. c. 10.* Et Euripides innuit *in Supplic. act. 1.*

ἔχει γὰρ καταφυγὴν, θὴρ μὲν πέτραν·
δοῦλοι δὲ βωμοὺς θεῶν· πόλις δὲ πρὸς πόλιν
ἔπτηξε χειμασθεῖσα.

Id eſt,

*Habent confugium, feræ quidem ad petram:*
*Serui autem ad aras Deorum, Idolorum: Ciuitas autem ad ciuitatem confugit*
*Tempeſtate exagitata.*

Et in templa confugientes, venia & miſeratione dignos docet Virgil. *Æn. lib 1.* dum ait,

*Cunctis nam lecti nauibus ibant*
*Orantes veniam, & templum clamore petebant.*

Ita & ſupplices orantes aras tenebant, vt innuit idem *Virg. 6. Æneid.* dicens,

*Talibus orabat dictis, araſq; tenebat.*

Erant templa eius venerationis, vt quod eo illatum eſſet, violari nefas eſſet: vnde aſyla ſine prædatione. Vocant namq; σύλην prædam, & ſpolia. Proinde confugientes ad eccleſias euelli inde iure communi propter loci religionem inuiti non poſſunt, vt ait Leo Cæſar *in l. præſenti, 5. de iis qui ad eccleſ. confug. C.* Refert Suidas *in Eutropio*, Eutropium Arcadii Imperatoris cubicularium, omnis generis facinoribus plenum, cum vellet etiam eos qui ad templa confugiſſent comprehendere, legem promulgaſſe, qua concederet etiam eos vel ab aris extrahi. Sed ea lege vix promulgata, eum vltionem crudelitatis fuiſſe conſecutum: non enim multo poſt Imperatore offenſo, in templum fugit ſub altari iacens, inde abſtractus noctu, capite truncatus fuit, Quod & Nicephorus Caliſti ſcribit, *lib. 13. c. 4.* ¶ Theod. † & Valent. *l. pateant, 4. de iis qui ad eccleſ. confug. lib. 9. C. Theo. tit. 45.* Legem hanc immunitatis eccleſiæ conſtitutione firmarunt, atq; pro aſylo omnia, quæ eccleſia continentur, vſque ad extremas fores eccleſiæ conſtituerunt confugientibus eo ſine armis. Statuta & pœna, vt qui propria auctoritate confugientem auulſerit, extraxeritve, verberibus affectus, raſuſq; relegetur. Cuius meminit Conſtantinus Harmenopulus *lib. 2. Promtuar. iur. tit. 9.* D. Auguſtinus ad Bonifacium, *can. miror, 17. q. 4.* eum qui hominem ad eccleſiam fugitiuum rapuerat, punit primum, ne eius oblationes a clericis ſuſciperentur, dehinc communionem interdixit, donec pœnitentiam egiſſet. Gelaſius *ca. frater, ead. q.* reo eiuſdem criminis eccleſiarum omnium inhibet ingreſſum: ex concilio Hilerdenſi, *can. nullus clericorum, ea. 17. q. 4.* ſegregatur quoque ab eccleſia. Concilium Triburienſe, *can. ſi quis contumax, ead. q.* pœnam arbitrio committit epiſcopi, & vltra mulctam ſtatuit nongentorum ſolidorum. At Toletanum, *can. definiuit ea. q. 12.* aſylum eccleſiæ extra eccleſiam etiam conſtituit intra 30. paſſus, vtque non inde extrahantur ſerui confugientes a dominis, niſi preſtita cautione, quod eis iniuriam non inferent ob eam cauſſam. Quod & aliorum aliis cõſtitutionibus cauetur, *ca. metuentes, ca. id conſtituimus, 17. q. 4. l. fi. § ſi de iis qui ad eccleſ. confug.* Gotthi ea pietate fuerunt, vt nullos omnino violarent, qui ſecuritatem a templis Deo dicatis inuocarent, *Io. Magnus lib. 23 hiſt. Gotthor. c. 21. & 22.* Refert Nicephorus Caliſti *lib. 14. hiſtor. Eccleſ. c. 32.* vindictam diuinam in violatores aſyli *Cum quidam*, inquit, *ſerui ab heris male tractati, ad eccleſias confugiſſent, neque hinc euelli poſſent, turbantes clericos vnum clericum occiderunt, & poſt ea ſeipſos: quo tempore cœpit error Neſtorii, quidamque poeta mali ominis, illud factum iis iambis prædixit.*

σημεῖα καὶ γὰρ ταῦτα γίγνεσθαι φιλεῖ
ὅταν τι ναοῖς καταισκήψῃ μύσος.

Id eſt,

*Conſueuit omen triſte afferre, ſanctius*
*Si forte templum polluat piaculum.*

¶ Apud † Anglos Edoardus 2. eorum rex legem ſanciuit, quæ hodie ſeruatur, vt quoties quis delicti reus ad templum confugeret, in perpetuum exſilium eat intra quadraginta dies & duodecim horas (eo enim temporis ſpatio ſe æſtus Oceani ex alto incitat) nec aliam pœnam patitur, excepto quod vſque ad littus crucem manu geſtat, veluti ſignum ſeruatæ per religionem vitæ, auctore Polydoro Vergilio *lib. 1. hiſtoriar. Anglic. in Henrico.* ¶ Eſt † ſanctio inter cæremoniales flaminis Dialis, vinctum ſi ædes flaminis introiſſet, ſolui neceſſum eſſe: & vincula per impluuium in tegulas ſubduci, atque inde in viam foras dimitti, *Aulus Gell. lib. 10. c. 15.* 5 6

¶ In † legibus Langobardorum, & in capitularibus Caroli Magni, *tit. de iis quæ ad legem, de clericorum occiſione ſtatuuntur,* ſtatuitur his verbis, *Si quis ad eccleſiam confugium fecerit, in ipſo atrio eccleſiæ pacem habeat, nec ſit neceſſe eccleſiam ingredi: & nullus inde per vim eum extrahere præſumat, ſed liceat ibi confiteri quid fecit, & inde per manus bonorum hominum, ad diſcuſſionem in publicum perducatur.* Demetrius rex ad Iudæos ſcribens, *Quicunq;*, inquit *1. Machab. c. 10. confugerint in templum, quod eſt Hieroſolymis, & in omnibus finibus eius, obnoxii regi in omni negotio dimittantur: & vniuerſa, quæ ſunt eis in regno meo, libera habeant.* 7

¶ Apud † Ethnicos priuilegium aſyli, quo quis extrahi inde non poſſet, non omnibus templis conceſſum fuit: ſed aliquibus tantum quibus conſecrationis lege irrogatum fuiſſet. Quod ex Cornelio Tacito *lib. 3. annal.* poteſt elici, dum ſcribit, ſub Tiberio Cæſare increbuiſſe Græcas per vrbes licentiam atque impunitatem aſyla ſtatuendi, quod complerentur templa peſſimis ſeruitiorum, & eodem ſubſidio obærati aduerſum creditores, ſuſpectique capitalium criminum receptabantur, nec vllum ſatis validum imperium erat coercendis ſeditionibus populi, flagitia hominum, vt cæremonias Deum protegentis, & ideo placitum, vt ciuitates mitterent iura, & legatos, &c. Addit Suetonius *in Tiberio c. 37.* Tiberium aboleuiſſe omne ius moremque aſylorum, qui vſquam erant. 8

¶ Conſeruabant † autem omni ſtudio poſteri hoc ius, & inter ſacrilegos annumerabant, qui ab aris ſupplices, & ad Dei tutelam fugientes dimouebant, & in eos grauiter animaduertebant. Sic Athenienſes eos ciues condemnarunt vltimo ſupplicio, qui Cytonis ſocios & miniſtros, qui per tyrannidem occupare arcem tentaſſent, ad aram Mineruæ factos ſupplices occidiſſent, vt refert Thucydides *in 1.* & Plutarchus *in Solone.* Quin & apud ſenatum Syracuſiorum aliquando obtinuit, teſte Diodoro Siculo, *lib. 11. Biblioth.* in iudicio Ducetii Siciliæ patriæ proditoris, & criminis maieſtatis rei ad aras ſupplicis, inuiolatam religionem in eo etiam eſſe ſaluumque fore debere, quia Dei potius eſſet cauſſa, ad cuius aram eſſet ſupplex: quamuis cum hoſtibus nulla ſit diuini iuris, ſacrorum, religionumve ſocietas, & inter eos omnia ſint profana, ſiquidem capta ab hoſtibus profana fiunt. Templum Palladis aſylum erat, vnde nec Pauſaniam auſi ſunt Lacedæmonii abducere vi, & militibus ibi cinctus fame necatus eſt, vt ait Thucydides *in 1.* & Diodorus Siculus *lib. 11.* qui ſubdit & numen idcirco iratum fuiſſe, quod contra fas ſupplex mortuus fuiſſet. Atque Lacedæmonas cum Delphos Apollinem conſulturi miſiſſent, reſponſum accepiſſe, ſupplicem reſtituere oportere: atque ideo duas ſtatuas æreas Pauſaniæ exſtruxiſſe in templo Palladis conſilio diu agitato. Alcibiades in Sicilia abſens, Athenis reus factus quod ſacra violaſſet, & capitis damnatus bonis publicatis, etſi plebiſcito poſtea fuerit reſtitutus, *Æmylius Probus in Alcibiad.* Scribit Pauſanias *in Attic. in 1.* Syllam Romanum phthiriaſi ſiue morbo pediculari interiiſſe, quod Ariſtionem ex Mineruæ fano extractum trucidaſſet. Qui Tyriis, *Diodor. Siculus lib. 17. Biblioth. anno. 4. Alex.* deferendam ciuitatem, vt Deo admonente prædixerat, cum eum populus occidere vellet, ad templum fugiens, morte liberatus eſt. Templum ad Palicem tutiſſimum præſtabat confugientibus aſylum, *idem lib. 11.* Lacedæmonii quoque templum veluti aſylum venerebantur, & in quo nonnulli etiam capite damnati ſalui eſſe cõſueuerant, vt ait Polybius *lib. 4. hiſt.* Diognetis Mileſiorum dux auſus non eſt violare Policritam Naxiam, ex hoſtibus in templo repertam, οὐ γὰρ θέμις, inquit Parthenius *in Erot. c 9.* θεμιτὸν ἦν ἱκέτιν οὖσαν ἐν τῷ ἱερῷ βιάζεσθαι, id eſt, *non enim fas erat ſupplicem in templo violare,* 9

Fuit Aſylum delubrum Iouis in Tanio apud Tragnios, qui habi-
tant Pontum & Cappadociam verſus, vt ait Strabo *lib. 12.* Item
Epheſi Dianæ, *idem lib.*14. in Ægypto ad oſtium Nili, quod voca-
tur Canopicum, in cuius litore erat Herculis templum, ad quod
ſi quis cuiuſcunque hominis ſeruus cõfugiens caperet ſacras no-
tas, ſeſe Deo tradens, nefas erat tangere, *Herod. lib. 2. in Euterpe.*
Erant tamen alia loca pro aſylis conſecrata, vel deſtinata, qualem
conſtituit lucum Romulus, vt ſcribit Dionyſ. Halic. *in* 2. Et Virg.
ita meminit *lib.8. Æn.*

*Hinc lucum ingentem quem Romulus acer Aſylum*
*Rettulit, & gelida monſtrat ſub rupe Lupercal.*

Liuius *lib.*1. inter duos lucos aſylum Romulum poſuiſſe ait, non
lucum, his verbis. Deinde, ne vana vrbis magnitudo eſſet, adiici-
endæ multitudinis cauſſa, vetere conſilio condentium vrbes, qui
obſcuram, atq; humilem conciendo ad ſe multitudinem, natam
e terra ſibi prolem mentiebantur, locum qui nunc ſeptus denſis
ſentibus inter duos lucos eſt, aſylum aperit (ſcilicet Romulus.) Eo
ex finitimis populis turba omnis ſine diſcrimine liber an ſeruus
eſſet, auida nouarum rerum perfugit. De hoc aſylo, & tractat La-
10 ctantius *lib. 2. c.* 7. Eutro. *lib. 2. c.* 7. Ouid. *li. 3. Faſtorum.* ¶ Sic† poſt-
quam Hercules migrauit a vita, nepotes eius timentes inſidias
eorum quos auus afflixerat Athenis, ſibi primi aſylum, hoc eſt,
templum miſericordię conſtituerunt, vnde nullus poſſet abduci,
ſicut docet Statius *in* 7.

11 ¶ Erat † in ſtatuis Cæſarum ius aliquando aſyli, *Vlpia. ex Lab. in*
*l. quid ſit fugitiuus*, 17. § *apud Labeonem, de ædil. edict. in P. l.* 1. *de iis*
*qui ad ſtat. confug. lib.* 1. *C. l. 2. de iis qui ſunt ſui vel alien iur. lib. 1. P.*
*titul. 6. § ſed dominorum, eod. apud Iuſtinianum*, & illa ſtatua dicta
ἄσυλος ἀνδριάς, qualem fuiſſe Tyberii ſtatuam ſcribit Philoſtra-
12 tus. ¶ Multo † magis apud ipſum principem ius aſyli & immuni-
tatis eſt. Sic & Æſopus Crœſum regem Lydiorum, eum abſque
cauſſa occidere volentem alloquitur, *Max. Planud. in Æſopi vi-*
*ta*, κ' ἐγὼ, ὦ βασιλεῦ, τ' σῶν ποδῶν ἅπτομαι, μή με εἰκῇ φονεύσῃς, id eſt, *Et*
*ego itaque rex tuos pedes attingo, ne me ſine cauſſa occidas.* Et ſi in ſta-
tuis id locum habet in arido, multo magis in viridi, *gl. id videtur*
*ſentire in l. capitalium, § ad ſtatuas, de pœn. in P.* Et ſaltem operabi-
tur effectum, de quo in l. præſenti, de his qui ad eccleſ. confug. vt
ſecure poſſit accedere, *Chaſſan. in § 5. in ver. ſi n' a grace, in* 18. *caſu*
*euitandi mortem, tit. des Juſtices, in conſuet. Burgund.* Et reſponſum
eſt a Baldo, Cardinales habere priuilegium conſuetudine indu-
ctum, quod ſi obuient ei, qui ad mortem ob flagitia ducitur, poſ-
ſint huiuſmodi a morte liberare. Veruntamen is dicit, priuile-
gium eſſe aduerſus l. addictos, Cod. de epiſcop. audien. vbi id ſcri-
bit, quia lex illa ſtatuit, ne temere vel vi flagitioſi ſupplicio eripi-
antur.

13 ¶ In † caſtris apud ſigna, tanquam apud aſyla, quis tueri olim ſe
poterat, & a captiuitate vindicare, vnde ſcribit Tacitus *in* 1. *Plan-*
*co maxime*, inquit, *quem dignitas fuga impediuerat, neq; aliud pe-*
*riclitanti ſubſidium, quam caſtra primæ religionis: illic ſigna & aqui-*
*lam amplexus, religione ſe tutabatur.*

14 ¶ Placuit † antiquis, *Archidiac. in can. quæſitum, 12. quæſt. 2. con.*
*gloſſ. ibi poſitam, ſequitur Hoſt. in ſumma, de immunit. eccleſ. Ludou.*
*Roman. ſingul.* 335. *Ioan. Faber in § fin. de his qui ſunt ſui vel alien.*
*iur. Chaſſa. in § 5. in ver. perdra la vie, 19. caſu euitandi mortem, rub.*
*des Iuſtices*, confugientem ad ſacerdotem, deferentem ſacroſan-
ctum Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus, liberari a carcere, in
quem ducebatur, vel a fuſtigatione, pœna & morte. Quod cer-
te quandiu habuit locum immunitas, recipiendum fuit, in crimi-
nibus potiſſimum, quæ digna ſunt miſericordia. Si enim altaris
aſylum erat, multo magis & corporis Domini erit. Sanctificatur
enim inde altare, & maius diguiuſque quod ſanctificat, quã quod
ſanctum factum eſt, *Matthæi c. 23. can. nihil, de conſecrat. diſtinct.* 2.
Et apud ethnicos ſi quis ad verberandum duceretur, ſi ad pedes
Flaminis Dialis ſupplex procubuiſſet, eo die verberari piaculum
erat, *Aul. Gel. lib.* 10. *c.* 15.

15 ¶ Separauit † Moyſes tres ciuitates, *Deut. c.* 4. trans Iordanem,
ad orientalem plagam, vt confugeret ad eas, qui nolens occidiſſet
proximum ſuum, nec ſibi fuiſſet inimicus ante vnũ vel alterum
diem, vt ad harum aliquam vrbium poſſet euadere.

16 Fuerunt † pro aſylis antiquis, regum domus, & refugia ad il-
los: nulla adhibita diſtinctione religionis, vel præteritæ illatæ in-
iuriæ. Sic Chilpericus IIII. rex Franciæ pulſus regno a ſubditis,
confugit, vt ad aſylum, ad Ludouicum regem Lotharingiæ. Al-
phonſus rex Luſitaniæ pulſus a fratre Sancho rege Caſtiliæ, ami-
ce exceptus eſt a Tilleda rege Granatæ, quamuis eſſet Mahume-
ticus, & ei prædictum fuiſſet, futurum vt poſteros ſuos tolleret:
atque his fidem refugii non auertit, & liberum fratre Sancho
mortuo in regnum proprium remiſit: Rex Ludouicus II. & Ca-
rolus VIII. exceperuut Zizimum, ſeu Gemem Turcam, impe-
rio per Baiazetem fratrem pulſum. Themiſtocles confugit ad
regem Perſarum, ibique tutus ab omni iniuria ſeruatus, ob fidem
regiam, quamuis ſoror regis vindictã ab eo repoſceret, quod Sa-
lamine filios eius occidiſſet. Narrat Dio Caſſius *lib. 56. hiſt.* Ty-
berio impunitatem datam, quod cadauer tetigiſſet Octauiani ac
comitaſſet, cum id eſſet prohibitum.

## In quibus non obtinuit ius aſyli.

## Cap. 22.

1 *Aſylorum immunitas quibus non proficit, & aſylo eccleſiarum qui non gaudeant.*
2 *Eccleſiarum immunitas quibus denegatur in Gallia.*
3 *Aſyla in Gallia, Alemania, Langobardia etiam eccleſiarum merito ſublata.*

CAſus † quidam excepti ſunt apud aliquas nationes, vel ex mo-
re, vel ex lege: in quibus ius aſyli non habeat locum, nec im- 1
munitas. Et primum impune licet ad eccleſias confugientes edu-
cere, ſi alieni a religione, quæ eo in templo colitur, ſint: veluti, ſi
Iudæi ad eccleſias confugerint, *l. 1. de iis qui ad eccleſ. confug. Cod.* ſi
excommunicati, hęretici, & alii, quos proſequitur Nicolaus Boe-
rius *deciſ.* 310. ¶ 2. Olim ſerui, adſcriptitiique coloni ab aris ſub-
mouebantur, & dominis reddebantur, *l. 3. ad tit. de iis qui ad eccle.*
quod poſtea temperatum eſt, *l. fin. C. eod. titu.* Meminit Cicero 5.
*in Verrem*, M. Aurelium Scaurum euocaſſe Romam in iudicium
Periclem Epheſium hominem, quod is Epheſi ſe quæſtorem vi
prohibitum eſſe dicebat, quominus e fano Dianæ ſeruum ſuum,
qui in illud aſylum confugiſſet, abduceret, & is auctor iniuriæ di-
ceretur. Euellique Salomon iuſſit a cornu altaris Ioabum, & in-
terfici: quia proditor maieſtatis fuiſſet, 3. *Reg. c.* 2.

¶ Sed & tertio lege diuina, *Deuter.* 19. *Numer.* 35. *Ioſua* 20. &
humana, § *neque autem homicidas, de mandat. princ. coll. 3. tit.* 4. iu-
ſtum viſum eſt atrociter delinquentes, veluti adulteros, homici-
das, raptores, & id genus ab aris ſubmoueri, ad quas confugerint,
& in ſupplicium adduci. Etenim legis auxilio indigni ſunt, qui in
legem peccant, *l. auxilium, de minor. in P. l. ſi ſine, ad S.C. Vellei. C.*
*l. 2. ſi minor ſe maior. dixe. l. ii qui ſanctam, de apoſt. C.* ¶ 4. Exſtat con-
ſtitutio † Franciſci I. regis Gall. anni domini 1539. artic. 166. qua 2
prohibentur immunitates eccleſiarum pro debitis, aliiſq; cauſſis
ciuilibus, vel aliis, quibus prehenſio decreta eſt perſonæ. Sic &
Ioannes Lucius *lib. 1. placit. Cur. titul. 2. plac. fi.* placuiſſe memorat
ſenatui Pariſienſi, ob æs alienum nexui corporis & fortunarum
obligatum, in loco ſacro comprehendi poſſe. ¶ 5. Denegatur im-
munitas iis, qui rei ſunt tributorum publicorum, ea namque &
vtilia templis ſunt, § *publicorum vero tributorum, de mand. princip.*
*col. 3. tit.* 4. Item curialibus & apparitoribus qui fiſcalia interci-
piunt, vt ſtatuitur in edicto Iuſtiniani 10. περὶ πραξεωτῶν, *ſeu de ap-*
*paritoribus præſidum.* ¶ 6. Non gaudent immunitate eccleſiarum
ſacrilegi, *c. fin. de immun. eccleſ. c. fi. & c. conqueſti, de ſentent. excom.*
quive eccleſiam violarunt, & alios eo confugientes extraxerunt,
*c. frater, & ca. ad epiſcopos, 17. q.* 4. Non effractores carcerum, non
damnati iam a iudice, neque ii qui iam comprehenſi vel ab admi-
niſtris iudicii vel aliis inſecuti, vt comprehenderentur, ad eccle-
ſias confugiunt, *de quibus omnib. vide plures teſtes citatos a Boerio,*
*deciſ. 110. nu. 9. &* 10. ¶ In † Gallia, & in Alemania ſecundum Papi- 3
enſem practicum, *in for. inquiſit. ver. ex his*, confugiens ad eccle-
ſiam non gaudet immunitate: at Chaſſanæus Pictauii vidiſſe ſe
gaudere confugientem damnatum morte teſtatur, *§. 5. in verba, il*
*en perdit la vie, 19. caſu euitandi mortem, rub. des Iuſtices, in conſuetu.*
*Burgund.* Placet mihi prior, & vt opinor iuſtior eſt: quia intereſt
Reipubl. delicta puniri, *l. ita vulneratus, ad leg. Aquil. c. vt fama, de*
*ſent. excommunicat.* vt late in criminum tractatione docemus ge-
nerali. Nec conſuetudo quæ dat occaſionem delinquendi, qua-
lis hæc, ſeruanda eſt, *l. conuenire, de pact. dotal. l. alia, § eleganter, ſol.*
*matr.* In legibus capitularibus Caroli Magni *cap.* 8. homicidæ, ce-
terique rei, qui per leges mori debent, ad eccleſiam confugien-
tes non excuſantur, nec permittitur eiſdem ibidem victum præ-
bere. Idipſum ſtatuitur in legibus Langobardorum, *titu. de reuer.*
*eccleſ.* Sententia Philonis Iudæi, *lib. de ſpecial. legibus*, de iure aſy-
lorum impiis denegando, digna eſt quæ hic adſcribatur. *Homici-*
*dæ*, inquit, *cenſendi ſunt, non ſolum qui interimunt, ſed etiam qui*
*nihil*

*nihil non conantur clamq; de palamque, vt interficiant, etiam ſi non
perpetrauerint facinus. Quod ſi præ metu vel audacia vitiis contra-
riis in templum irrumpere tentauerint impunitatis inueniendæ gra-
tia, prohibendi ſunt: ſin autem iam ſurrepſerunt, dedendi ſunt ad
ſupplicium, cum hoc præconio, hominibus nefariis in fano ius aſyli non
deberi. Nam quiſquis malum dat incurabile, inimicus eſt Deo. Ho-
micida autem lædit immedicabiliter, quia occiſus non poteſt in inte-
grum reſtitui: pollutos vero ineluibili ſcelere abolẽdo nulla mora tem-
poris, dignabimur aditu ſacrarum ædium, quos nec priuata quidem
domus honeſti viri & ſanctitatem amantis admitteret*, &c. Quæ ibi
copioſe & erudite in hanc rem expenduntur. Accedit quod in-
tempeſtiua videtur hæc miſericordia & dolo proxima: vt dicitur
ab Vlpiano *in l. ſi hominem, 7. depoſit. lib. 16. P. titul.* 3. Et inſuper in-
troductio aſylorum maxime primum obtinuit: vt ſupplices in-
nocentes conſeruarentur & defenderentur ab iniuriis: non vt
lædentes alios impunitatem conſequerentur, *in §. neq; autem ho-
micidis, de manda. prin. in Nouel.* Et hæc fuit cauſſa etiam, nempe
abuſus & occaſio delinquendi, cur Tiberius aſyla ſuſtulerit teſte
Sueton. in eius vita, *c.* 37. & Corn. Tacit. *lib. 3. annal.*

## De ſepulcro violato. Cap. *23.*

Lib. 9. C. tit. 19. Lib. 47. P. tit. 12.

1 *Sepulcra ſpoliantes crimen ſacrilegii admittunt. Et cœmiteria conſecrantur a pontificibus.*
*Sepulcrum ædificare ex voluntate teſtatoris cogit heredem epiſcopus, eod.*
2 *Religioſum locum ſepultura facit.*
3 *Sepulcrum vnde dicatur.*
4 *Sepelire in vrbe non licuit Romanis, nec apud alios. & 7. & 8.*
5 *Reges Romanorum vbi ſepulti.*
6 *Sepulti qui in vrbe Roma olim tantum: & domi etiam aliquando. 8. & 9.*
9 *Sepulcrorum decreta ſcriptura per eccleſias facienda.*
10 *Sepulturæ Romæ communes aut priuatæ. Et priuata gentilitia vel familiaris.*
11 *Sepulcri violati pœna duplex, ciuilis & criminalis.*
12 *Sepulcra multis modis violari dicuntur.*
13 *Habitare in ſepulcris an liceat, & qui inhabitauerint.*
*Et cur inhabitare prohibitum. 14. & 15.*
15 *Dæmones cur frequentent ſepulcra.*
16 *Cadauera mortuorum cur terreant ſolitarios.*
17 *Sepulcrum violatur, oſſa ſine licentia eorum qui permittere poſſunt transferendo: quando autem transferre liceat, & cuius auctoritate & 18.*
19 *Sepulcrum violatur etiam illud demoliendo, & demolientis pœna.*
20 *Sacra hoſtium occupatione an fiant profana. Et beneficium ab illis occupatum non amittitur ab eo qui ius habet.*
21 *Hoſtis cadauer ſpoliare præterquam armis, illiberale, auarum, & muliebre.*
22 *Polemarchus capite damnatus ſpoliato Cyri ſepulcro.*
23 *Sepulcrorum defendendorũ gratia magis pugnant Scythæ, quam ob bona.*
24 *Cadauer elatum conſpuiſſe capitale.*
25 *Sepulturæ debitoris tempore, creditores non ſunt audiendi exſequentes debitum.*
26 *Sepulcri violati ex legibus Salicis pœna.*
27 *Mortuorum cadauera quare vri, non humari cœperunt.*
28 *Sepulcrorum violatorum pœna. & nu. 22. 24. & 26.*
29 *Sepulcrorum violatores quibus vitiis impellantur. Et non ſepelienda ornamenta cum corporibus.*
30 *Sepeliri ſine loculo, & humari cur voluit Cyrus.*
31 *Sepeliri impios etiam de gente ſua non paſſi in ſuo ſepulcro maiores.*
32 *Sepulturæ qui non demandentur.*

1 AD crimen ſacrilegii pertinere videtur ſepulcrorum, & ſepul-
torum, rerumque quæ horum ſunt, violatio, *l. pergit auda-
cia, 5. de ſepul. viola. C.* Gordianus quoque læſæ religionis crimen
dixit, *l. 1. C. eod.* Nam quodammodo hæc ſacra ſunt, & ad religio-
nem pertinentia: & proinde deſignabāt pontifices Ethnicorum
olim, ſicut & hodie, *c. 1. 13. q.* 1. noſtri ſepulcra: quod & Strabo *in 5.*
indicat, cum de via latina agit, vbi condi cineres defunctorum ſo-
lebant. Docet & id Wolphgãgus Lazius *in præfatione commenta-
riorum reipubl. Roman.* Et poteſtas cogendi ædificare ſepulcrum
ex mente teſtatorum, ad principalem & ad pontificalem auctori-
tatem pertinet, teſte Papiniano *l. hereditas, 53. de petit. hered. lib. 5.
P. tit.* 3. Vocat & Imperator Iulianus ſepulcra, aggeres conſecra-
tos, *dict. l. pergit audacia.* Decretum, inquit Cicero *2. de legibus*, a
Pontificum collegio, non eſſe ius in loco publico fieri ſepul-
crum: quia locus publicus priuata religione non potuit obligari.
¶Religioſum locum ſepultura hominis facit, & illatum cadauer, 2
*§. religioſum, de rerum diuiſio. l. 2. §. prætor ait, de religioſ. & ſum fun.
in P. Martianus in l. in tantum, 6. § religioſum, de rerum diuiſ. P.*
in locum proprium, vel in locum alienum ex voluntate domini;
non aliter, *l. 2. de religioſ. & ſumt. fune. C.* vel ſi pluribus locis mem-
bra ſepeliantur, vbi caput eſt, *l. cum in diuerſis, 14. eod. in P.* Ceno-
taphium, vacuum inquam mauſoleum, proprie, *dict. l. in tantum,
§ fin. & l. ſed diui fratres, de rerum diuiſ. P. Vlpian. l. vel quæ paterfa-
milias, 6. & l. is qui, de religioſ. & ſumt. fun. P.* religioſus locus non
eſt. Sic Ælius Gallus teſte Feſto *lib. 16.* religioſum ſepulcrum de-
finit, vbi mortuus ſepultus aut humatus eſt. Et ſepulcrum quo-
que eſt, vbi corpus oſſave hominum ſepulta ſunt, *l. 1. & l. locum, d.
tit. de religioſ. &c. P.* Vt & innuit Virg. 1. *Georg.*

*Grandiaq; effoſſis mirabitur oſſa ſepulcris.*

¶Sepulcrum † quaſi ſeorſum a pulcro, ob fœtorem qui illo con- 3
cluditur: veluti conſtat ex exprobratione, quam Phariſæis Deus
obiecit, *Similes eſtis ſepulcris dealbatis*, &c. *Matth. cap. 23.* Quod
& firmat alibi dictum, *Sepulcrum patens guttur eorum, Pſalm. 5.
& ad Roman. 3.* ¶Et † proinde etiam antiquitus vetitum lege Ro- 4
manorum, in vrbe mortuos ſepelire. Sic enim ait lex duodecim
tabularum, *Cicer. 2. de legib. Hominem mortuum in vrbe ne ſepelito,
neve vrito.* Idipſum vetant Cæſares Diocletian. & Maximinian. *l.
mortuorum, 12. de religioſ. & ſumt. funer.* Et Iulius Paulus *libr. 5. re-
cepta. ſententiar. Corpus in ciuitatem inferri non licet: ne funeſtentur
ſacra ciuitatis: & qui contra ea fecerit, extra ordinem punitur.* Adri-
anus quoque, teſte Vlpiano *in l. 3. §. D. Adrian. de ſepul. violat. in
P.* reſcripſit, & pœnam ſtatuit quadraginta aureorum, in eos qui
in ciuitate ſepulcrum faciunt, quam fiſco inferri voluit, & in ma-
giſtratus eandem pœnam qui paſſi ſunt, & locum publicari iuſ-
ſit, & inde corpus transferri. Antoninus quoque Pius intra vrbes
mortuos ſepeliri vetuit, teſte Iulio Capitolino *in vita Antonini
Pii.* Refert & Dio Caſſius *lib. 48.* anno ab vrbe condita 716. Ro-
mæ cautum edicto, ne mortui intra duo millia paſſuum ab vr-
be cremarentur. Obſeruatum idipſum non ſolum in priuatis ſe-
pulcris, verum etiam in communibus multo magis, vt ea extra
mœnia eſſent, vt ex Horatio apparet, *ſerm. 1. Sat. 8.*

*Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulcrum.*
*Pantalabo ſcurræ Momentanoq; nepoti.*
*Mille pedes in fronte trecentos cippus in agrum*
*Hic dabat, heredes, monimentum ne ſequerentur.*

Docere videtur hunc morem veterum fuiſſe ſepeliendi in agris
& Cicero pro Sexto Roſcio, cum demonſtratione vtitur, vt pro-
bet eum ſpoliatum omnibus fortunis fuiſſe. *Cui de tanto patri-
monio*, inquit, *iſte nefarius prædo*, ſcilicet procurator Chryſogoni,
*ne iter quidem ad ſepulcrum patrium reliquiſſet.* ¶Et † in campo 5
Martio tantum reges humari primum conſuetum tradit Appia-
nus *libr. 1. bello. ciuil.* & Herodianus *in 4. vbi de ſepultura Seueri a-
git*, qui poſtea ſepulti in via Flamminia, teſte Strabon. *in 5.* & Sue-
tonio *in Octauio.*

¶Obtinuit, † *Cicero 2. de legibus*, tamen & poſt legem decem- 6
uiralem, hominum triumphalium oſſa in vrbem inferri; Impe-
ratorum, ſummorum Ducum, & veſtalium: eaque ratione ſepul-
ti in vrbe, Valerius Publicola, Fabritius Tuberto, & alii, qui vir-
tutis cauſſa legibus non tenebantur, vt ſenatuſconſulto Duellio
conſule cautum, *Bart. Marlia. lib. 6. Topogra. antiquæ Romæ, c. 10.
& Georg. Fab. lib. de Rom. c. 20.*

¶Nec † id quidem Romanis tantum in more poſitum extra 7
mœnia ſepelire, ſed & aliis nationibus commune. Sic de Græcis
teſtis erit Æſchines, qui dum Timarchum vniuerſum patrimoni-
um profudiſſe oſtendit, ait, matrem eius filium oraſſe ne fundum
certum alienaret: vt ſi nihil aliud inde commodi caperet, ſaltem
mortua haberet, vbi ſepeliri poſſet, & nec ipſi quoque prædio
eum peperciſſe. Scribit Dares Phrygius *lib. de excidio Troiæ*, Pria-
mum Hectorem filium ſuum ab Achille occiſum, more ſuorum
ante portas ſepeliſſe, & ludos funebres feciſſe. Hoc etiam colligi
poteſt ex D. Chryſoſtomo, *in Pſalm. 5. tomo 1.* dum ait, *Si extra vr-
bem corpora mortua, multo magis qui verba mortua & qui talia
proferunt, & ne tegere aut obumbrare quidem volunt, longe aman-
dare oportet.* Et vt ſingulare narrat Polyb. de Tarentinis, *lib. 8. hiſt.*

vt orientalis pars ciuitatis Tarentinorũ fuerit plena monumen-
tis,& quod mortui omnes apud illos, iuxta quoddam vetus ora-
culum eorum ſepelirentur. Ferunt enim Tarentinis Deum per
oraculum ſignificaſſe, ſatius illis ac melius fore, ſi cum pluribus
habitarent: illos vero ſic ſe quam optime iuxta oraculum habita-
turos putaſſe, ſi mortuos quoque intra mœnia retinerent. ¶ Me-
8 roitæ † Æthiopes, mortuos alii in flumen præcipitant, alii circun-
fuſo vitro domi ſeruant, alii in fictilibus alueolis eos circum tem-
pla defodiunt, vt auctor Strabo *lib.* 17. Lex Platonis *12. de legib.* o-
ſtendit quoque ſepultos in agris homines. *Nullum*, inquit, *in loco
fœcundo, & agro ad culturam apto ſepulcrum fiat: ſed is locus corpo-
ra defunctorum recipiat, qui ad cetera inutilis, & ad tantum com-
modus, viuentes minime lædit. Nec enim a viuis, nec a mortuis terræ
fœcunditas impedienda eſt.* Et rurſum is ait, *idem in Minoe*, anti-
quiores Athenienſes defunctos etiam domi ſepeliſſe: quod ſuis
temporibus non ſeruabatur. Non negarim tamen & Romæ, &
alibi aliquando ſepulcra intra vrbes recepta: vt & nunc cœmite-
ria noſtra ſunt. Et ab initio arbitror vnumquemq; ſuos mortuos
in propriis ædibus ſepeliſſe, hancque ob cauſſam lares colebant,
quod poſtea vetauit lex 12. tab. vt ait Turnebus *in 2. de legib. Cicer.*
9 ¶ Forſan † ne tabes aerem vrbanum inficeret, vel ne licentia illa
ſepeliendi familiaris, daret delinquẽdi, & occiſos occultandi oc-
caſionem. Quo factum etiam, vt edicto Franciſci I. *Conſt. Fran. 1.
anni 1539. art. 50.* aliquando optime in noſtra hac Gallia cautum
ſit, vt eccleſiarum curiones, monaſteria, & capitula, beneficiato-
rum morientium, & apud ſe ſepultorum nomenclaturam ſcribe-
rent, vt ſi de alicuius obitu quæſtio incideret, eius inſpectione fa-
cilius decideretur. Ægyptii quoque, quibus mortuorum corpora
tetrum non reddunt odorem, eo quod ea incidant, & liniant &
condant, ſuorum cadauera in arca locata priuatim erigunt in pa-
rietum armariis, teſte Diodoro Siculo *lib. 2. Biblioth. c. 5.* ¶ Sepul-
10 tura † Romæ olim erat, vel communis plebeiis & aliis, vel gentili-
tia, vel familiaris cuiuſque familiæ. Hodie Chriſtianis ſepulturæ
in communi fiunt cæmiterio, vel eccleſia: ibi tamen quædam lo-
ca ſunt certis familiis, vel perſonis interdum deſignata. Et ſic pro-
pria ratione vſus: quæ aliis inuitis familiis non poſſunt a curioni-
bus communicari, *Conrad. Brunus, lib. 4. de cerem. ca. 2. toto tit. de
ſep. late hoc explicat. Ang. Clauaſ. in ſum. in verb. ſepultura, num. 40.*
Caius *l. familiaria, 5. de relig. & ſum. fun. in P. l. 4. eod. tit. C.* inter fa-
miliaria & hereditaria adhuc diſtinguit ſepulcra: vt familiaria
ſint, quæ quis ſibi familiæque ſuæ conſtituit, hereditaria quæ quis
ſibi, heredibuſque conſtituit: vel, vt inquit Vlpianus *in l. vel quæ.
6. eod.* quæ paterfamilias iure hereditario acquiſiuit. Participes in
ſacris domeſticis & habebant coniuncta, vt plerumque ſepulcri
iura. *Iam tanta*, inquit Cicero *2. de legib. eſt religio ſepulcrorum, vt
extra ſacra & gentem inferri fas negent eſſe: idque apud maiores no-
ſtros A. Torquatus in gente Popilia iudicauit.* Sicut & familiarium
ſepulcrorum ius non tranſit ad cognatos vel affines, non ad he-
redes inſtitutos, *l. ius familiarum, 8. C. de reli. & ſum. funer.* heredi-
bus tamen quanquam extraneis competit, *l. his conſequenter, 18.
§. 1. famil. erciſcun. lib. 10. P. tit. 2. & l. ius ſepulcri, de relig. & ſum. fun.
C.* Iure pontificio qui decedit inteſtatus, in ſepulcro maiorum, *c.
1. de ſepulc. apud Gregorium*, exemplo ſanctorum patrum, *Geneſ.
49. Exod. 4. Luc. 10. c. vnaquæque, §. Ioſeph. 13. quæſt. 2.* condi debet,
eligere poteſt tamen viuus, vbi condi velit, etiamſi vxor ſit, *can. de
11 vxore, c. 6 de ſepul.* ¶ Pœna † violati ſepulcri, ciuilis, & criminalis
eſt, *tota l. 3. & l. de ſepulcro violato. 9. de ſepul. viol. in P.* Ciuilis ſol-
uenda iis quorum intereſt vel denuntiantibus, pecuniaria. Cri-
minalis & multa, & capitalis, vt apparebit ex ſequentibus: neque
12 enim vnicum eſt crimen in indiuiduo. ¶ Nam † ſepulcra violari
multis modis dicuntur, & funerum iura: nempe primum ſi quis
in ſepulcrum alterius eo inuito cadauer deferat contra volunta-
tem domini, *Vlpian. in l. 3. §. ſi quis in hereditarium, eod.* Solonis ea
lex erat, τάφον μὴ ἐξαλείφειν, μηδ' ἀλλότριον νεκρὸν φέρειν, *Sepulcrum
ne deleanto: neve in alienum funus inferanto.* Vetat prætor quo-
que, in ſepulcrum alienum funus inferri, *l. 2. de relig. & ſumt. fu-
ner. P. l. final. eod.* Etenim videtur mortuus iam ante ſepultus, alte-
rius ſepultura in poſſeſſione ſui loci turbari: quia naturaliter vi-
detur, *l. 4. eod.* ad mortuum pertinere locus, in quem infertur:
præſertim ſi in eum locum inferatur, quem ipſe ſibi deſtinauit. Vt
nec poſtea dominus loci poſſit propria auctoritate oſſa, quæ ab
alio illata ſunt, vel corpus effodere, vel eruere ſine decreto pon-
tificum, vel iuſſu principis: alioquin iniuriarum fieri actionem
aduerſus eum qui eiecerit, *Vlpianus in l. oſſa, 8. eod.* item & in fa-
ctum actione tenetur & pecuniariæ pœnæ ſubiicitur actio, *Vl-
pianus l. 2. §. prætor ait, eod.* pro pretio loci repetendo, aut vt cor-
pus tollatur, *l. is qui. 7. eod.* Pœna autem ciuilis centum aureorum
eſt, *l. 3. §. 1. & §. ſi quis in ſepulcro, & l. de ſepulcro, de ſepul. violat. in P.*
& quanti intereſt, *Caius in leg. liberum, 9. de religioſ. & ſumt.
funer.*

κἀκεῖνο κέκριται, inquit Antigone apud Euripidem, *Euripid. in
in Phœniſſ. act. ſi.*

μὴ ἐφυβρίζεσθαι νεκρούς.

*Et illud etiam ſtatutum, ne quis violet mortuos.*

Violatio † etiam ſepulcri dicta eſt, ſi quis in ſepulcro dolo malo 13
habitauerit, ædificiumve, aliudve quam quod ſepulcri cauſſa fa-
ctum ſit habuerit: atque prætor in eum, ſi quis agere voluiſſet,
ducentorum aureorum iudicium ſe daturum pollicetur, *l. 3. §. ſi
quis in ſepulcro, in 1. & 2. & §. penult. de ſepulcr. violat. in P.* De dolo
malo meminit in hoc edicto prætor: nam alioquin habitatio ſal-
tem ex cauſſa, vel temporalis iuxta vel intra ſepulcrum, iuſta ali-
quando viſa eſt. Sic Modeſtinus *in l. Mæuia. 44. de manum. te-
ſtam. libr. 40. P. titul. 4.* probat voluntatem defuncti, qui iuſſerat
ſeruum & duas ancillas liberas eſſe, ſi modo alternis menſibus
lucernam accenderent, & ſolemnia mortis peragerent, & ita
monumento adeſſent. In Chubda ciuitate, quæ vicina eſt ciuitati
Tangaſt in finibus Indiæ, vnde Turcæ venerunt, præfectum mor-
tuum, lege ita iubente coniuges eius perpetuo lugent, neque
vnquam a ſepulcro diſcedunt, pulla veſte indutæ, & capite noua-
cula raſo, teſte Nicephoro Caliſto *libro decimooctauo, hiſtor. Ec-
cleſiaſt. cap. 30.* Naſamones propria oracula apud parentum ſe-
pulcra manſitando captare ſcribunt Heraclides, Nymphodorus,
Herodotus: & Celtæ apud virorum fortium buſta pernoctant
eadem de cauſſa, vt ſcribit Nicander auctore Tertulliano, *libr. de
anima, vbi agit de inferis.* Iulius Sabinus, qui principatum habe-
bat in Lingonibus, quo tempore Veſpaſianus imperium poſt
Vitellium accepit, magnum collegit exercitum, ſeque Impera-
torem nominauit, quod ſe a Iulii familia eſſe diceret: tandem
præliis ſæpe victus rus abiit, ibique ſepulcrum ſubterraneum,
quod prius ipſe incenderat, ingreſſus eſt. Cumque conſtans eſſet
opinio illum interiiſſe, in eo nouem annos cum vxore delituit,
ex eaque duos filios ſuſtulit: poſtea tamen Romam adductus, a
Veſpaſiano necatus cum vxore Peponilla, quæ eum aluerat, &
incolumem ſeruauerat, vt auctor Xiphilinus ex Dione *in Veſpa-
ſiano.*

¶ Non † eſſe honeſtum, neque ſalubre circa in ſepulcris viuen- 14
tem habitare, ſuadere poteſt loci inſalubritas ex putrefactione
cadauerum contracta: ſalus autem populi & ad principes perti-
nere debet, quibus & commiſſa eſt, *l. 3. de offic. præfect. vigil. P.* &
ideo recte prohibent, ne inibi inhabitetur. ¶ Sed † & D. Chryſo- 15
ſtomo *homil. 29. in c. 8. Matthei*, placet, vt plerumque a dæmoni-
bus ſepulcra inhabitari, vt perſuadeant nimium credulis, perni-
cioſam illam opinionem, quod hominum qui abierint animæ
dæmones fiant: quod ipſe validis refellit argumentis. Ideo ille dæ-
moniacus qui legionem fouebat dæmonum, in ſepulcris habi-
taſſe refertur in ſacra pagina, *Matth. 8. c.* ¶ Franciſcus † Venetus 16
*tom. 2. problema. ſacr. ſcript. ſection. 2 problem. 79. & 80.* quoque ait,
mortuorum cadauera ab ſpiritibus immundis frequẽtari, & hinc
cadauera non ex ſe, ſed ex ſpiritibus circumſtantibus terrorem
incutere, & maiorem ſolitario, quam aſſociato: ideo accendi ſo-
lere lumina circa mortuorum cadauera, vt pellantur poteſtates
tenebrarum, quia magis lucem timeant, quam talpæ aut veſper-
tiliones. Et proinde ob id fieri in cæmiteriis aquæ benedictæ a-
ſperſionem, thurificationem & conſecrationem. ¶ Violat † et- 17
iam ſepulcrum qui oſſa transfert, non petita licentia a pontifice
vel principe olim, *Vlpian. l. oſſa, 8. de relig. & ſum. fun. P.* vel a magi-
ſtratu *Vlpian. l. nec corpora 38. eod.* ſi cauſſa rationalis transferendi
occurreret, *l. 1. C. eod.* ſi ſine cauſſa, a principe ſolo, *l. nemo, eod. Cod.*
Siquidem ſi perpetuæ ſepulturæ datum corpus eſt, id eſt, ſi ſepul-
tum eſt eo animo, vt ibi perpetuo eſſet: aliter enim ſi ad tempus,
vt transferretur poſtea, ſepeliatur, ſine licentia licet transferre, *l.
ſi nec dum, C. eo. l. 3. §. non perpetuo, eo. in P.* ¶ Neque † ſepultura tem- 18
poralis locum religioſum facit, vt ait Paulus *l. ſi quis eo animo. 40.
eod. tit. in P. l. cum in diuerſis, 44. eod.* Scribit Socrates *in hiſtor. eccle-
ſiaſt. tripart. cap. 32.* ſeditionem maximam ortam fuiſſe Conſtan-
tinopoli, quod Macedonius Arrius minante ruinam domo, in
qua erat arca corpus habens principis Conſtantini Magni, eam
tranſtuliſſet in eccleſiam Accii martyris, dicente parte populi,
non oportere principis oſſa transferri, ne quaſi exſopiri videren-
tur, & nefas id eſſe: ob quod & Imperator tunc, quamuis amicus
Macedo-

Macedonio, iratus fuit, & propter eos, inquit Socrates, qui mortui erant, & quia corpus patris eius, abſque illius conſilio transferre præſumſiſſet. Plinius Secūdus, *li. 10. Epiſt. epiſt. 71. & 72.* hác auctoritatem eſſe pontificiá oſtēdit & principis, Traiano ſic ſcribens: *Petentibus quibuſdam vt ſibi reliquias ſuorum, aut propter iniuriam vetuſtatis, aut propter fluminis incurſum, aliaque his ſimilia quæcunque, ſecundum exemplum Proconſulum transferre permitterem. Quia ſciebam in vrbe noſtra ex huiuſmodi cauſſis, collegium pōtificum adire ſolere, te Domine Maximum pontificem, conſulendum putaui, quid obſeruare me velis.* Reſcripſit autem Traianus, ſequēda exempla eorum, qui ei prouinciæ præfuiſſent.

19 ¶† Eſt & violatio ſepulcri, illud demoliri. Cuius pœna, *l. 2. de ſepul. viol. C.* in ſeruo, qui iuſſu domini demolitur, metallum: ſine iuſſu, relegatio. Et ſi quicquam ex eo raptum & delatum in domū domini, ædificium fiſci iuribus mācipatur. Qui ex lapidibus monumentorum domos ædificant, & violant domos defunctorum, & viuos polluūt fabricando, pœnaque decem pondo auri, pręter pœnas in violatores ſepulcrorum ſtatutas, tenentur: qua & qui reliquias vel corpora ſepulta contrectauerint, tenentur, *l. 4. eod.* Pœna pecuniaria communis in hos, vel centum vel ducentorum aureorum ſtatuta eſt ſecundum diuerſitatem facti ſeu violationis, & perſonarum, *l. 3. §. aduerſus, & l. qui ſepulcra, & l. fi. de ſep. violat. in P.*

20 ¶† Quod tamen intelligendum eſt de ſepulcris, quæ ſunt inter eiuſdem fidei homines, *Nam ſepulcra*, inquit Caius, *l. 4. eod. hoſtium, nobis religioſa non ſunt: ideoque lapides inde ſublatos in quēlibet vſum conuertere poſſumus, nec violati ſepulcri actio eſt.* Et Pōponius, *in l. cum loca. 36. de rel. & ſumt. funer. in P.* loca capta ab hoſtibus deſinere religioſa vel ſacra eſſe oſtendit: & ſicut homines liberos, qui in ſeruitutem perueniunt, a calamitate tamen hac liberatos, veluti iure poſtliminii priſtino ſtatui reponi. Quod quidem recipiendum hodie inter Chriſtianos eſt, ſi cum infidelibus & alienis a fide catholica bellum ſit, non ſi cum Chriſtianis. Nam cum iſtis communia nobis ſacra & pietas, & ius non eſt ſeruitutis ex captiuitate, etſi præmium detur redemtionis. At cum aliis barbaris noſtra occupantib. illud erit recipiendū in his locis interim ſuſpendi ſacra, non exſtingui. Et ideo non egent poſtea liberatione ſecuta alia noua prouiſione, qui beneficia eccleſiaſtica ibi habebant occupata, *ca. paſtoralis, 7. q. 1. cap. ſancta Romana, de elect. in Extrau. com.* Nec loca fiunt profana ſemel Deo dedicata, *c. quæ ſemel, 19. q. 3. & ibi notatur, vide Rebuff. de pacif. poſ. n.* 301. & remanent iura antiqua Ethnicorum in eo correcta.

21 ¶† Plato, *Dial. 5. de Repub.* illiberale quiddam, cogitationiſq; auaræ, muliebris, ac vilis putabat exſpoliare etiam hoſtis victi cadauer, præterquam armis.

22 ¶† Alexander Magnus Polemarchum ſummo loco natum, quem Perſis præfecerat, quod ſepulcrum Cyri maioris effodiſſet & ſpoliaſſet, capitis ſupplicio damnauit, *Plut. in Ale. vide de hoc ſepulcro Q. Curtium, li. 10. de geſt. Alex. Magni, & Arrian. li. 6. expeditio. Alexandri, qui paulo aliter quam ſuperiores de hoc ſepulcro agit.*

23 ¶† Magnus proximorum & parentum & ſuorum amor a natura cuique inditus, qui non morte finem accipit, & eo memoria tenacius hęret, quo adhuc monumenta agnoſcit, quibus ipſos corpore contineri ſcit: Idcirco iniuria in ſepulcra acerbior, & violatio vindicta maiori digna cenſetur, vt non mirum ſit, ſi celebre illud reſponſum Dario a Scythis factum habeatur. Cum enim populante regiones vniuerſas illorum, cedentes paulatim in ſolitudines vltimas fere perueniſſent, interrogati ab eo per legatos, quem fugiendi finem aut quod pugnandi initium facerent: reſponderūt ſe nec agros vllos, nec vrbes cultas pro quibus pugnarent habere, ceterum cum ad parentum ſuorum monimenta veniſſent, ſciturum quemadmodum Scythæ præliari ſolent, vt ſcribit Herodotus, *in Melpome.* & Valer. Maximus, *li. 5. c. 4.*

24 ¶† Iniuriam vel modicam mortuorum illatam cadaueribus Heraclius Imperator docuit exemplo, impunitam eſſe nō debere: is enim ex Fabia vxore Eudoxia genuit Heraclium, & Epiphaniam: hæc autem cum Fabię defunctæ funus efferretur, per feneſtram forte ſpuens, cum contigiſſet corpus, capta eius iuſſu ſimul cum Fabia combuſta eſt, *Pompo. Lætus in genere Heraclii.*

25 ¶† Iuſtinus Cæſar, *l. fin. C. de ſep. viola.* reliquiis defunctorum iniuriam fieri a creditoribus, qui mortuum debitorem fuiſſe conqueruntur, prohibet, neve ſepulturam impediant: deprehenſum autem in hoc flagitio iubet quinquaginta libras auri dependere, vel ſi ſoluendo non ſit pœnis corporalibus ſubiici. Iuſtinianus poſtea, *§. ſancimus ergo, §. ſi vero, vt defuncti ſeu fune. & e. in aut. col. 5. conſt. 15. §. meminimus, vt cum de appell. cog. col. 8. conſt. 11. auth. item qui domum, & auth. ſed neque, de ſep. violat.* eum qui prætextu debiti interpellauerit exſequias, & funus violauerit hoc modo, præcipiti intra nouem dies, quibus iuſta ſoluuntur, mortuo debiti repetitione, infamia notat, & tertiam partem bonorū eius iure mulctæ ad heredes deuolui ſtatuit. In memoriam enim humanæ conditionis, ſepulturæ tradi corpora ſanctum viſum eſt Modeſtino, *l. quidam in ſuo. 27. de condi. inſti. lib. 28. P. tit. 7.* Idem ſanxiſſe Lycurgum Iuſtinus refert, *ex Trogo, lib. 3.* Quanquam is de ſepultura ſua aliter ſtatuerit, ſed non ſine ratione: is enim poſtquam leges Spartanis datas eos illas ſeruaturos iuramento donec rediiſſet firmaſſet, profectus Cretam ibi perpetuum exſilium egit abiicique in mare oſſa ſua moriens iuſſit, ne relatis Lacedæmona, ſolutos ſe Spartani religione iuriſiurandi in diſſoluendis legibus arbitrarentur.

¶† Leuiores pœnæ legis Salicæ, cuius hæc verba, *in leg. Salicis, titu. 17. de ſuperu. vel ſpoliationib. §§ 5. 6. 7. Si quis, hominem mortuum antequam donetur ſepultura, furto ſpoliauerit, malberg Chreo moſdo* 1800. *denariis, qui faciunt ſolidos 45.* Et in alia ſententia 2000. *denariis, qui faciunt ſolidos 62. cum dimidio culpabilis iudicetur.* Et iterum. *Si quis hominem mortuum effoderit & ſpoliauerit, malberg thurni chalt,* 4000. *denariis, qui faciunt ſolidos 100. culpabilis iudicetur.* Et poſtea, *Parentes defuncti iudicem rogare debent, vt inter homines non habitet auctor ſceleris, & qui ei hoſpitium dederit, antequam parentibus ſatisfaciat, 600. denariis qui faciunt ſolidos 15. culpabilis iudicetur.* Grauis tunc mulcta pecuniaria in magna hominum penuria, & ſæpius magis, quam corporalis exoſa. In edicto Rhotarii ſeu legibus Langobardicis, titulo ſexto, de Rapouorfin, §. ſic cautum. *Si quis ſepulturam hominis mortui ruperit, & corpus exſpoliauerit, aut foris iactauerit, 900. ſolid. ſit culpabilis parentibus defuncti: & ſi parentes proximi non fuerint, tunc Gaſtaldius regis, & Schuldhais requirat culpam ipſam & ad curiam regis exigat.* Et poſtea inibi titulo ſeptimo, de Rhairaub. *Si quis hominem mortuum in flumine aut foris inuenerit, & ſpoliauerit, & celauerit, componat parentibus mortui ſolidos* 80. 26

¶† Piaculum magnum rati ſunt antiqui eruere ſepulta corpora, quamobrem & vrendi mos ab humatione deflexit. Priſcus enim fuit mos Romanorum condere, inquit Cicero, *2. de legibus.* cadauera, non vrere: donec poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, quamuis plures familiæ antiquum ſeruaſſent modum, vt Cornelia, vſque ad Syllam dictatorem, qui voluit cremari metuens talionem, eruto Caii Martii cadauere, teſte Plinio, *lib. 7. ca. 54.* Thucydidis tempore Athenienſes etiam cremabant corpora, vt conſtat ex ſecundo eius libro. 27

¶† Conſtantinus Harmenopulus, *lib. 6. Promt. c. 5.* legem refert, qua ſcriptum eſt, *Qui cadauera in ſepulcris ſpoliauerit, ei manus præciditor.* Iulianus, *l. pergit. audacia. 5. de ſep. viol. P.* in eos, qui lapides ſepulcrorum amouent, terram euertunt, ceſpites euellunt, qui ornamenta quædam e tricliniis vel porticibus eorundem abſtulerint, ſacrilegii pœnam, quam ſupra diximus capitalem ſtatuit. Et Paulus, *l. fin. eod. P. Rei*, inquit, *ſepulcrorum, ſi ipſa corpora extraxerint, vel oſſa eruerint: humiliores quidem fortunæ ſummo ſupplicio afficiuntur, honeſtiores in inſulam deportantur: alias, aut relegantur, aut in inſulam damnantur.* Imperatores Valentin. & Archad. *l. 3. de epiſc. audien. libr. 1. C. tit. 7. Nullam*, inquiunt, *accipiat vinculorum requiem, qui quieſcere ſepultos quadam ſceleris immanitate non ſinit.* Marcellus, *l. ſepulcri violati. 8. de ſep. vio. in P.* ſepulcri violati crimen ad legem Iuliam de vi publica quoque pertinere poſſe dixit, quia violato ſepulcro, illud inhabile ad ſepulturam cum fiat, fieri videtur vis quominus ne ſepeliatur: quod & firmat Marcia. *l. qui cœtu. 5. ad leg. Jul. de vi pub. P. li. 48. P. ti. 6.* 28

¶† Nulla in ſumma fuit reſpub. bene inſtituta, quæ non improbauerit, & aliqua pœna non caſtigauerit ſepulcrorum violatores, propter vitia, quæ animos ad ſcelus hoc committendum alliciunt: quia ſolent effodi, violari, & inuerti ſepulcra ab impiis, potiſſimum tres ob cauſſas: vel, vt in vſus alios rudera & lapides transferantur: vel iniuriæ cauſſa: vel quod vulgarius eſt, ſpoliandi mortuos. Siquidem interdum aliqui volunt ſepeliri ornati, vel cum quibuſdam rebus pretioſioribus: quem morem vulgi Vlpian. improbat, *Non oportet*, inquit, *in l. at ſi quis. 14. §. funeris cauſſa, de rel. & ſumt. funer. in P. Scæuol. l. fi. §. ſi. de auro & arg leg. lib. 34. P. tit. 2. ornamenta cum corporibus ſuis condi, nec quid aliud huiuſmodi, quod homines ſimpliciores faciunt. Quemadmodum quæ apud* 29

*Scæuolam decedens iuſſerat inferri ſibi dum ſepeliretur, quacunque ferret ex ornamentis, lineas duas ex margaritis, & viriolas ex ſmaragdis, tamen eadem non aſſecuta eſt.*

30 ¶ † Sapienter iuſſit filiis ſuis apud Xenophontem, *li.* 8. *Cyripæd.* Cyrus corpus ſuum cum e vita migraſſet, neque cum auro, neque cum argento, neque alio quopiam loculo condi: verum terræ quam primum reddi, τί γὰρ, inquit, τούτου μακαριώτερον, τοῦ τῇ γῇ μιχθεῖναι, πάντα μὲν τὰ καλὰ, πάντα δὲ τἀγαθὰ φύει τε καὶ τρέφει? *Quid præſtabilius ac beatius, quam cum humo miſceri, quæ omnia pulcra parit & educat?* Quod & laudat dictum Cicero, 2. *de leg.*

31 ¶ † Contemſit Cyrus loculo concludi, ſed humari & ſepeliri ſe iuſſit: illi quippe & aliis ſepulcrorum magna viſa eſt religio, vt de illis non minus, imo magis quam de habitatione quandiu vixerint, ſoliciti fuerint: & cauerint, ne vllo modo polluerentur etiam extraneorum ſepultura, vt neque ex gente ſua ſceleſtos paterentur ſepulcris ſuis condi. Veluti Octauia. Cæſar non paſſus in ſuo Iuliam ſtupris diffamatā poni, quamuis ei teſtamento legauerit, *Dio Caſſius. lib.* 56. Pater Horatii victoris Curiatiorum, nec domum filiæ occiſæ a fratre cadauer referri permiſit, nec maiorum monumentis inferri, nec funebri ornatu exſequiisve dignatus eſt ſolemnibus, quod Curiatum hoſtem reipubl. occiſum a fratre defleuiſſet, *Dio. Halycar. in* 3. Iaſon, *in l.* 3. *nume.* 3. *qui teſtament. fac. poſſ. Cod.* ſcribit, vt qui viuus non potuit in ciuitate morari, non poſſit mortuus in eadem ſepeliri: Idque ex Bartol. *in l.* 2. *de cadaueri. puniend. P.*

¶ † Pœna grauiſſima habita ſacrilegii & proditionis in Attica, 32 non ſepeliri ex lege apud Xenophontem, *lib.* 1. ἑλλην. Cuius & meminit Æmil. Probus, *in Themiſt. vita.* Et pro pœna atrociori eruere ex ſepulcro oſſa. Prohibentur ſepeliri in ſacris cœmiteriis & eccleſiiis, excommunicati irreconciliati eccleſiæ, & ſi ſepeliantur, inde iubentur effodi & eiici, *cap. ſacris,* 12. *de ſepult. cap.* 1. 24. *q.* 1. *ca. ſane,* 24. *q.* 2. Imo & infidelium ſeu paganorum oſſa debent prius exportari e loco ſepulturæ, quam Chriſtianus ibi ſepeliatur. Neque priuſquam eiiciantur conſecrari ſepeliendis Chriſtianis locus poteſt, ex concilio Agrippinenſi & Aureliac. *cap. eccleſiam, & cap. ſeq. de conſecrat. diſt.* 1. Reconciliatis tamen eccleſiæ ſub mortem, vel poſt, ſepultura ſacra non negatur, *cap. ſi de ſep. ca. a nobis, de ſent. excomm. cap. qui recedunt,* 26. *q.* 1. Horribile ſpectaculum certe videre hominem inſepultum, & pium & humanum ſepelire, ſi memores mortalitatis ſumus: quod lex Attica demonſtrat, *Ælia. lib.* 5. *hiſtor. variæ, capit.* 14. iubens, *Si quis in inſepultum cadauer incidat omni parte id terra obruat, & ſepeliat ad occaſum ſpectans.*

# DE SORTILEGIS ET MALEFICIS, LIBER XXXIIII.

## De nomine Malefici, Magi, Mathematici, Sortilegi, & aliis quibuſdam. Cap. 1.

1 *Libri 34. ad 33. continuatio.*
2 *Malefici qui, & 3.*
4 *Fœminæ curioſiores, & ad ſortilegia viris proniores.*
5 *Matematici, & mathematici qui & differentia.*
6 *Geometria permiſſa & commendata.*
7 *Magi nomen quid ſignificet. Magus domus, Gallis inde dictum Rotomagum. Iuliomagum.*
8 *Magia quid vera, & quid mala. 9. & 10.*
10 *Libri magici comburendi, & alii improbatæ lectionis.*
11 *Sortilegus & ſortilegia quid. Item ſortiarius, ſortiaria.*
12 Fatilieres *Tectoſagis quæ mulieres, & fatale fataleſque dies quid.*

1 LEgitima † & accommoda tractationi noſtræ viſa ſeries eſt, vt poſtquam docuimus de hęreſi, & aliis criminibus, quæ diuinam offendunt maieſtatem, agamus de maleficis, & ſortilegis, pœniſq; horum criminum, quæ eiuſdem ſunt argumenti, cuius ſuperiora: & eodem libro contineri deberent, niſi longior eſſet tractatio, quam vt paucis capitibus expediri poſſit, vt proinde proprio libro expedienda ſit.

2 ¶ † Conſtantinus Imperator magicis carminibus aſſuetos, maleficos vulgi conſuetudine nuncupari teſtatur, *in l. & ſi excepta.* 7. *de malefic. & mathe. li.* 9. *C. tit.* 19. Idipſum & Lactantius, *li.* 2. *de orig. err. ca.* 17. *& in ca. nec mirum,* 26. *q.* 5. Quamuis enim maleficii nomen ad omnia pertineat crimina, & damnum omne, quo nocetur alteri, vt conſtat ex pene infinitis iuris teſtimoniis, *l. ex maleficiis, de acti. in P. §. ſequens, de obl. apud Iuſti. §.* 1. *de obl. quæ ex del. naſc.* ob inſigne tamen nocendi ſtudium, quod in ſortilegis, lamiis, incantatoribuſque eſſe detegitur, ea κατ᾽ ἐξοχὴν malefici nomine abſolute ſignantur. Ita augures, vates, Chaldæos, Magos, reliquoſque id genus, maleficos vulgus appellat, ob facinorum magnitudinem, *l. nemo haruſpicem.* 5. *de malefic. C.* Vt & Valenti. Theodo. & Arcadius maleficos, communis ſalutis hoſtes 3 dixerunt, *l. ſi eo. tit.*

4 ¶ † Quæ non tantum ad viros, ſed & ad fœminas pertinent: quando & curioſior hic ſexus, ad artes ſcrutandas magicas pronior & propenſior ſit, vt tradunt Rabini, *in præceptis lognace, ſeu præcep. negatiuis præcep.* 198. Sic enim & docent verba capitis 22. Exodi, quæ de muliere nō viro loquuntur, מכשפה לא תחיא mechaſcephah lo thechaie, id eſt, *malefica non viuet.*

5 ¶ † Qua ratione maleficia diſtingui poſſunt a vanis quibuſdam & curioſis nimium perquiſitionibus & obſeruationibus, quarum ſectatores mathematici quoque vulgo dicti ſunt aliquando, ſeipſos tantum, non alios lædentes. Verum cum T. non cum th. Græcorum nominum declinatio & formatio ad amuſſim non ſe opponat. Alioquin namque proprie mathematici nomen, ἀπὸ τοῦ μανθάνειν, & a demonſtratione, qua vtuntur mathematici. Vnde & eorum ſcientia μάθησις, quæ quatuor illas complectitur, Arithmeticam, quæ de numeris agit: Aſtrologiam, quæ de ſyderibus: Muſicam, quæ de melopœia & verborum ſonoritate: & Geometriam, quæ de terræ menſura. Atque de priori acceptione & notatione rubrica, vt opinor, de maleficis & mathematicis intelligenda eſt. Sicut & Corn. Tac. *in* 2. *annal.* tradit, de mathematicis magiſque vrbe pellendis, facta fuiſſe ſenatuſconſulta. Et D. Aurel. Auguſtinus, cuius ſententiam refert Gratianus, *in cap. illos planetarios.* 26. *q.* 2. genethliacos ſeu planetarios, mathematicos dixit. Et ſic hanc obſeruaſſe differentiam expedit, dum reſcriptum CC. Diocl. & Maximiani legimus, *l.* 2. *de malefic. C.* ¶ † *Artem Geometricam diſcere atque exercere publice,* inquiunt, *intereſt: ars autem mathematica damnabilis eſt, & interdicta omnino.* Quo loci, Geometria a mathematica diſtinguitur, & illa 6 neceſſaria & approbata, hæc omnino illicita. Veluti & Plato, *li.* 7. *de rep.* Geometriam & ad omnes artes conducere, vt & ceteras, quas proprie diximus mathematicas, edocet, ex conſenſu Pythagoræ & Glauci. Quibus ſuffragantur iura, *cano. ſi quis artem,* 37. *diſt.* Nec etiam aberrabimus, ſi Tacitum locutum de aſtrologis diuinatricis ſeu iudiciariæ curioſitatis obſeruatoribus nomine mathematicorum pellendorum putemus: item & CC. Honorium & Theodoſium, *l. mathematicos.* 11. *de epiſc. aud. C.* dum. *Mathematicos,* inquiunt, *niſi parati ſint codicibus erroris proprii, ſub oculis epiſcoporum incendio concrematis, catholicæ religionis cultui fidem tradere: nunquam ad errorem primum redituri, non ſolum vrbe Roma, ſed etiam omnibus ciuitatibus pelli decernimus.*

¶ † Poſſent & iſti iudiciarii aſtrologi, olim merito vrbibus ex- 7 pulſi, Magi dici aliqua nominis ſignificatione. Quod inter ceteras magici nominis acceptiones, & magum domum dici annotauimus apud Celtas, ex lectione Ioan. Picardi, *li.* 2. *Celtipediæ.* Indeque Gallis tractum nomen *Maiſon,* & in Burgundia *Magion,* eo quod Samothes regnauerit apud Celtas, teſte Beroſo, qui filius erat Magi ibique plures ciuitates & oppida exſtruxit. Putatq; inde denominata aliqua oppida in Gallia Lugdunenſi & Narbonenſi, quorum meminit Ptolomæus reliquique Geographi: vt Iuliomagum, id eſt, Iulii domus: Cæſaromagum. i. Cæſaris domum: Rotomagum, Maguntiam, & ſimilia. Obſeruant autem aſtronomi regiones & plagas cœli, quas in partes, quas domos dicunt, diuidunt. Et ita a domiciliis cæli obſeruatis magi recte ea ratione